IOCI.

G. DV VAIR,

Senatus Aquensis Principi.

Di Gesinardo Gjannelli

PARISIIS,

Apud TVSSANVM PILLEHOTTE, in vico ſeptem viarum, è regione inſignis D. Petri.

CIϽ. IϽ CI.

GVILIELMO
DV VAIR,
REGIS IN INTERIORIBVS CONSILIARIO, & Senatus Aquensis PRINCIPI.

ARNAVDVS.

PVERILIA *tibi Principi Senatus feruntur, & offeruntur: lusus, non aleatori, sed ei, penes quem iudiciorum alea. vt si quando à negotio ad otium secessus fiat, immensis laboribus levari possis. Agesilaus* Lacedemoniorum *rex arundine pro equo conscensa, lusit vnà cum pueris. Augustus fe-*

ſtos ſolennes nonnunquam celebrabat iocularitèr tãtùm. Claudius Cæſar librum de arte ludicra emiſit. Domitianus ſe aleâ ſæpiùs oblectabat. Marcus Antonius philoſophus imperij mole, & ſtudio defatigatus pila gaudebat, aut pictura. Et Roma ipſa magis Catonis urbanitate delectabatur, quàm Curionis magnificentia. Demoſtenes, cùm parum attentos haberet Iudices, de Aſini umbra fabellam narravit. Pub. Mutius Scæuola Iurec. pila, & xij. ſcrupis, aut alea animum forenſibus negotiis ſemiſepultum renovabat. Et Cicero: Nobis ſenibus, inquit, ex luſionibus multis, talos relinquant, &

tesseras. Ioci ergo tibi dantur, vir grauissime. Pauca quidem hæc, si dignitatem tuã, aut munerum tuorum in me numerum spectes. Hinc iure in me prostrati pudoris erit actio: ni dantis mentem potiùs, quàm dementem libellum perpendas: aut priùs ignoscas, quàm agnoscas. Sin minùs, animal pro noxa esto. Sed si non nisi te digna expectes, nihil adferetur. Si enim te inspicias, omnia nostra despicies. Hîc igitur authoritatem depone, huic vt misello autor fias: & verna hic liber saltem tibi libertus. Ego interim, ut ut sit, tibi addictus, ac nexus operas dabo.

AD LIBELLVM,

Arnaudus.

PLVRIBVS quidem hoc ſcribendi genus ingratum erit: paucis, & forſan nullis, gratum. Iam frontes obductas cerno, ſupercilia ſublimata, oculos tranſverſos, naſum detortum, renuentes aures, labra producta, cachinnos vndequaque excitatos, exibilationes, multiformia ludibria, indices intentos, vultum averſum, humeros cõtractos,

junctas (nec ad plausum) geminas palmas: omnia denique miseriam, & infortuniũ plangentia ridiculi opusculi. In quorum sententiam pedibus etiam eo: tot testibus convictus idem sentio: illis assentio, nec possum non consentire. Quid ergo jam surgis miselle? quid lucem petis, illiberalis libelle? quid niteris nitorem assequi? Nec te à proposito risus domestici avertere potuerunt. Hinc fuit, vt aliquandiu hęsitarim, dolerémne tuam sortem, an cæteris irridentibus me consortem darem. Obtinuit sanior opinio: risum saniorem

accepi. Egredere, incipe: comœdiam agito: nec etiam eo nomine inutilis erit. Proſunt næniæ: delectant ſimulata deliria: oblectant fabulæ, & facetiæ, & infantium garritus. Si modò riſum moveris, non pœnitebit.

IN SIMVLATVM.

Arnaudus.

Millies mille salutibus salvete, amici amicissimi ocelli; salvete labia amœnissima; hilaresque genæ: & tu, lingua dulcissima, non minùs salve. O vos, manus, vosque pedes, eo ampliùs salvete, & valete, quo eodem more, parique ardore amorem testamini: & quo me ipsum, meaque omnia ardentiùs diligitis, quàm ego ipse. O authentici testes,

ſi mihi aliquatenus malè eſt, ſubitò & vos, oculi, flebiliter illacrymatis: vos, labra, tremitis: à roſeo colore, genæ, degeneratis: lingua langues, & lamentis fœcũdiſſima, quòd nimiùm amas exclamas: lexamini, palmæ: huc illuc pedes trepidatis. Denique luctus meus potius eſt in vobis lectus, quàm in me, aut à me intellectus. Fidiſſimi conſortes meæ ſortis, conſtantiſſimi comites fortunarum mearũ, valde, & validè valete. Quodcumque enim me tangit, vos frangit: & quæ mihi fortuna aduerſa, vobis perverſa. Si mihi tantillum mali accidit,

vos omnes occidit. Si quemquam odero, hunc vultis cõfodere. Si vel minimùm angor, mox in vobis langor. Omnia denique, quæ me afficiunt, idem in vobis efficiũt. Speculum lucidissimũ meorum morum, quoniam mea salus eadem, quæ vestra est, iterum salvete. Eo, inquam, magis, quòd si prosperè aliquid cedat, subitò acceditis: meum gaudium vestro gaudio minus: mea, si vestræ opponatur, lætitia mœstitia videbitur. Tunc jucundi oculi, labia ridentia, rubicundulæ genæ. Tunc os merus lepos: lingua dis mille dictis: plausus

abundant, pedes exultant: quodcumque tādem ſentio, illi aſſentitis. Nec facilè credo, quin ego in vobis, & vos ipſi ſim, aut vos in me, & ego ipſe ſitis. Omnia hæc veſtra officia maxima in me beneficia. Mea quoniam tam diligēter, & curiosè curatis, millies mille ſalutibus ſalvete, & avete.

Sed tibi, ô cor, non idem rogo, ſed rogum; te nec pulcrum voco, ſed ad ſepulcrū. Cur enim membra ſic diſertè mentiri cogis? cur ita fallere doces: & teipſum, tuosque decipis, & ludificas vulpine? Si dolent cætera membra,

gaudes; ſi gaudent, luges: ægrotas, ſi valent. ſi exultant, deſultas. Nō eſt igitur, quòd eo nomine tibi ſalutē optē: ſi cōtrariorum temperie illa conſtat, non niſi plurimùm, aut nimiùm valēre poteris. Mēbra enim tibi cōtraria omnia, tibi adverſa, & à te diverſa: ut ſpectandum potiùs ſit, quòd nimia illa temperie ægrotes: ſicut de athletis Hipocr. Quidquid ſit, nō poſsū tibi bene precari, ſi hinc reliquis malè ſit neceſſe eſt.

Sed, ô ſimulate, qui omnia hæc ſimul hac arte regis, qui omnia prodis, & te nūquam prodis, cur tam variegatus

ſis forſan enũciabo. Iniquus, improbus, imbellis, ater, hirſutus, ſqualidus, horridus, deformis, potiùs compactus, quàm compoſitus: cùm ſis, ſicq́ue tibi Deos, & naturam iratos iudicās fortunam (quæ ſola ſupereſt) etiam times. Aucuparis illam: illi adularis. Fruſtrà, mihi crede, invitam invitas: nec, niſi volens, ad nos volat. Illam nec fallaciæ laqueus, nec malitiæ rete retinent. Fluit, volat, meat, labitur, evaneſcit: nec illam ulla ars arctat: ullusq́ue formidoloſi dolus deludit. Vbique lubrica. Hāc ſola poteſt vincere, & vincire virtus, non

virus: hanc magnanimitas: hanc non vilis ſed virilis vita.

Fortis fortuna eſt, & ſolùm fortibus vna.

Nec cautiùs illã retines, quàm ſi à dolis abſtines.

Quid igitur larvatus incedis? cur aliud agitas, & cogitas aliud? cur unum edis, & alterum credis? Alterius proſpera te torquent, & exſiccant. Et quia nemini tua certa fides, de fortuna difides. Cur toties ſimulas, nũquam tibi ſimilis? Tua propria mẽbra vẽdica: neque his artibus fortunam mẽdica. Hos mores mori coge tuos. Hos ritus irritos redde. Animum mẽbris ſocia: ne mentem menti-

ri faciant. Iunge cor ori: his moribus finẽ pone: nec amplius nobis impone. Hoc nisi præstiteris, non minùs vale, ave, gaude, salve, & lætare: quàm me valere, avere, gaudere, salvere, & lætari cupis. Tibi, mi corculum eadẽ fortuna esto. Et quam mihi prosperam optas, tibi prosperè cedat: quamque mihi adversam times à te divortat.

In maledicum.

GVIRANDVS.

COnquerar, an taceam? indignè namque à quodã Advocato sum provoca-

tus. Irascar? At non irasci divinitatis. Contrà, aliquid iræ non dare, perire est. cùm & humi sim, & homo sim. Præterea, tacere est sibi aliam injuriam texere: nam ille, cui ignoscis, ad maleficiũ impunitate ignescit. Cõquerar igitur ut & ille posteà, & cæteri sint ad iniuriã tardiores. Verùm, ponam sine nomine crimẽ? Ponere nomẽ voluptatis est. hoc tamen, nõ tam esset injuriam vindicare, quàm vendicare, & avocare Advocati nomen ab obliuione. Ne ergo meâ querelâ cõmẽdetur, illiq́; meo nomine fama quęratur, crimẽ sine nomine ponã.

Salve tandem, Advocatule, delicatule, cincinnatule: ſalve, ſciole noſtri Orizontis Bartolule: ſalve legum Simiola: ſalve, inquam, forenſis rabula, imò Ranula. Sed ſalve tot, tantiſque ſalutibus, ex quibus Naſo Ibidi corallam confecit. Et hoc ſit ſine exceptione: non tamen ſine replicatione, duplicatione, &c. Doctorcule amãtiſſime, imò amentiſſime, qui leges nec legis, nec lectas intellegis: túne ſacer legibus? non tu potiùs ſacrileg⁹? qui meos & Mores, & Amores impudens vellicaſti.

Quid mores mordebas,

morose mordax? Itáne virtutis aridus, gloriolæque avidus famam ex mea infamia aucupari, & occupare credidisti? Quin, te meis in moribus immorari decebat (ut illà mora te bene moratum redderet) potiùs quàm, Corvule togate, corruptum, siquid erat, comedere: correctum verò non commendare. Sacrilegium est, sacris nullis expiandum, amicitiæ nomine, & omine inimicitiam amicire. Atqui non lacessitus à me fueras. nam quid tibi mali, aut quid non boni feceram? Invidia causa fuit. at officioso officere furor est.

Vide igitur, invide: vide livide, quàm malè, imò quã bene, ex tuis meritis, tecum agatur: qui cùm tu tibi hujus ſeculi Fœnix, ut novus Suffenus, es, dum, inquam, tibi ſolus places, ſolus omnibus diſplices. Verùm, cur diſpliceat tam nugigerulus aulicus, tam mellitus, tam unguentis illitus, tam calamiſtratus, tã denique (ſuo iudicio) totulus? Quia nẽpe ſuperbia ſuperis diſplicet: faſtidium homines faſtidiunt: ſoli inferi arrogantiam ſibi arrogant. Tu igitur erro, ſeu error ipſemet, dum erras, & hinc inde curſitas ampuloſus ambulator, obliquo

pileolo, Mercuriolus quidã cælo demissus videris. cùm verba sesquipedalia ex ore turpido vomis, oracula ex tripode promis, tuâ opinione: adeo ut, ex tuo unius ore, & culo oraculum putes derivatum. Ideo in foro, foriole, cùm simulas Baldum, bardũ desipiendo sapis. Salve igitur ut supra, Advocatule. Iam à Moribus ad Amores.

Sacrilege! túne turpis scortator, scrutator meorum Amorum fuisti? Quid tibi cum illis? nequissime, iniquissimè: age, fare, nefàrie, quid tibi cũ illis? Amoris mei mysteria sacrata, secreta ratus, aperiebas

amoris, inquam, mei, qui tã omnibus notus, & purus eſt, quàm tuus & nothus, & ſpurius. Quid jactabundus ſolitis tuis cachinationibus te legiſſe prædicabas? Quia totus ridiculus es, ridere quidem, irridere nihil poteras: niſi me irridendo riſui omnibus eſſe males, vt nunc. Sed quia forſan Amoris tui crimen, diſcrimen autem inter tuum, & meum non videbas, ideò ridebas. illud verò jam cùm videbis non ridebis. Accipe igitur, amice, vel amuce, illam differentiam. Amor tuus è cœno, meus è cælo: ideò tu⁹ totus ſceleſtus, meus totus

cæleſtis. Tuus ſe in venerea voluptate volutat: meus in veneranda volútate volitat. Ideo tuus te non procum, ſed Porcum: meus me non procacem, ſed probi ſequacem facit. Tuus totus focus, totus fucus: meus neque ſalax, neque fallax. Tuus, & læuus, & leuis. meus nec ſiniſter nec ſemeſter. Tuus cæcus: meus ſecus. Ex tuo miſerandi effectus: ex meo mirandi affectus. Ex tuo & fluctus, & fletus: ex meo, & lautitiæ, & lætitiæ. Tuus ergo non Amor, ſed amarus amaror: meus autem Amorum Amor amantiſſimus ſolus dicatur.

Igitur Columbule dionæ, noſtri Cupidinis fanũ egredere: ne profanes cyprinea cupedia tam cupiendi Cupidinis capiẽtem cupedinem. Pete, petulans, venuſtulas tuas Venuſculas. Ito, Satyre: ſat iræ jam exalavi. ne dum tu multùm moleſtus, modeſtus ego parum videar. Vale, ſed malè: dum te alterum Lycambem ad laqueum cõgere paro, & ſpero.

Amoris aſtutia.

IN PVELLÆ LACRYMIS.

Incertus.

LEctor, fanum hîc Cupidinis eſt. Profanum, qui nulla

netur, odit. Quod ſi neſcis, Amor ſua myſteria, quæ culta ſunt, occulta fieri imperat. Nihil auribus opus eſt. Quid mirum? ore nō loquitur numen: nec aure igitur verba accipienda ſunt. Lectus mētis intellectus auris inſtar erit: nimirum Amorum ſecreta mutuo ſilentio doceri volunt. At ſi Cupidinum ſacris inauguratꝰ, lector, felix ſors, felix augurium. hos ſolos optat, & cooptat Amor: hos ſolos mittit, & admittit in ſacrarium. Verùm quid moror? Amor morus moras nō patitur: & celeritas in deſiderio voluptas eſt.

Puella ipsa sua pulcritudine pulcrior, cui vivere nec amare, amare erat vivere, amantissimè amabat iuvenculum. amabat, dico, mehercule; amabat mille Amoribus: & mille tamen amores amissim minores erant uno illo Amore. Non minùs deperibat puellam juvenculus: qui sibi ipsi, in illa vivens, peribat. Felices! Iuro fideliter fidem ipsam fidelissimam nisi Fortuna id vidisset: nisi Fortuna id invidisset. quid ergo? Divisit puellam ab oculis juvenculi, divisit juvenculum ab osculis puellæ. Osculis, inquam, putis, puris, ac pudicis,

quæ non tam labra, quàm animas cōponebāt, ac commiſſebant. Sed quid dico? Fortunam vidiſſe. Cæca Fortuna eſt. Si tam bene ſperantia, & ſpirantia voluntatum potiùs, quàm voluptatum paria intueri potuiſſet, tueri ac deffendere voluiſſet. Diviſis corporibus, quid feciſſet puella? quid juvenculus? Vterque luxit impotentiſſimè: & vnica lacrymula pluſculos dolores expreſſerunt, quàm mille voculis, lingulis mille, mille verbulis. Sed & Natura, quæ admodum matura eſt, finxit mulieres viris molliores, & ad lacrymas pro

niores. Puella plangebat acriùs, & angebat animam ferè exanimem. Sic tota in fletus versa, per oculorum stillicidia guttatim defluebat. ita luebat infelici eventu, pœnas primæ felicitatis suæ. Mira res! oculi illi oculati, qui fornaces erant, incẽdiorum ordinem mutavêre: & qui erant lumina, aut fulmina potiùs, lacrymarum flumina facti sunt. At illæ lacrymabiles lacrymæ, at illi fletus olebant, alebántque vehementiùs Amoris flammas. Námque creber suspiriorum anhelitus, venti instar, cupidineos igues in pectore accen-

debat:vt dum aquæ foras defluunt, ſolus ardor intus regnaret: & ne cupiditas haberet humorẽ frigidulum, qui rigidulum Amorem reſtingueret. Quid igitur? Amor quidem in homine poteſt cælare ſe, ſed celare non poteſt. quantumuis opertus ſit apertus fiet. Irrumpit ſemper: & dum amantis corculum tacito dolore rodit, palam colore prodit. Itaque puella lacrymas digitulis ſuis officiosè tergebat: ſed tamẽ lacrymando turgebat ſemper oculus, & exteri jam ferè ſuſpicari incipiebant, puellam adamare ſecretum quid

Amor qui nũquã sõniat, qui nunquã dormit, æstũ puellę mœstũ vidit. adfuit. utq; causã morbi, sic remediũ præstitit. Nimirũ Amor in virgine pudor est. & tã amãt virgines libẽter, quã illibẽter fatẽtur. Quaredũ è stratis, animis prostratis, surgit puella, accedit (date veniã Veneri venustulæ: utẽdũ in re delicatula voce horrida) catharrus: puellæ oculos oprimit. oculos, inquam, syderibus lucidiores, oculos roseos, oculos argutulos, molliculos, blandulos: oculos (dicã quo dici minus non potest) omnis suavitatis suavissimè loculos. hoc nouo

dolore veterẽ dolorẽ artifex Cupido oportunè texit. Nã quis hujuſmodi ægritudines nõ potiùs Fortunæ, quàm Amoris casũ eſſe putat, & mutationi corporũ imputat. Puella hoc modo beata, hoc damno dives, hoc periculo tuta ſibi videbatur. imo duplex morbus vnica ſanitate longè gratior, lõgè charior, lõgè ſanior erat. Catharrus fucũ ſpectatoribus faciebat. At interea, ſub iſtis dolorũ involucris illa volucris Amoris ſui curſum peragebat, cui ſuccusũ noluiſſet. Lugebat enim amantiſſimè in dies, lugebat in horas, lugebat in momẽta

abſentiam Endimionis ſui: in quem totum (variis, in ardore ſimili, concurrentibus deſideriis) tota demigraverat. Qui externum oculorum dolorem videbãt, internum non ridebant: nec ideo valde mirabãtur. Nam qui myſteria non intelligit, qui non concipit, nec mirari ſolet. Putabant, gravedinem capitis cauſam dare luctibus. at fallebantur. Amor verus, Amor merus morbus erat ipſemet. Nõ humor corruptus decidebat, ſed Amor ſynceræ fidei, qui in oculis deſidebat. Deſidebat! decipio memet, & deſipio ſimul. Deſes

nõ erat Amor: qui puellæ pectus ſic vreret, ſic oculos vrgeret. O mirabiles animorũ affectus! ô mirabiles effect⁹! Niſi iſto morbi umbraculo morbum orbi animi Amor obſcuraſſet, nunquam mille vulnera, quæ in uno vulnere fecerat, aptè curaſſet: & puella fabulæ inſtar in ore fuiſſet omni populo.

Iã ſi quis arcana, & ſecreta rerum animo complecti cupit, ſi poteſt, ſi meretur, amet tãtùm: ſed nõ amet illo amore ſpurio, qui in more eſt, qui cruda carne paſcitur, qui totus in furtis eſt: vtq́; latitet cuniculos & rimulas ſectatur.

Diſcet facilè, Cupidinis numẽ inane non eſſe nomẽ. diſcet, Cupidinẽ non tã cæcum pictũ eſſe, quã Aquila & ſerpente epidaurio acutior ſit. ſentiet, omnes qui ſunt ſub præſidio, & patrocinio Cupidinis tutos, & ſecuros degere, nec tãtillũ egêre aliorũ auxiliis. Ego quidẽ vellẽ in deſcribendis puellæ lacrymis tã me foveret, tamq́; faueret Amor, quã fovit, & favit puellæ oculis. Sed divus Cupido cùm puellæ Amorẽ inſititiũ arte adſititia texerit, an efferri ęquiter ſuſtinebit? Satiꝰ foret omnes majores Deos habere iratos, quã parvulũ unũ

Amorẽ.minutuli omnes ſiẽt. Habet id propriũ Amor ſol⁹, ut ſive in armis ſit, ſive inermis, ſibi par, ſibiq; ſimilis ſit: æquè in utroq; metuẽdus. At amabilis lector, hoc cogita. ſi egomet eſsẽ tuipſemet, & Amor oculos puellæ armaret, ut te hamaret, & caperet, in pœnã divulgati oculorũ myſterij, quid ageres, miſer? Te locutum pœniteret, & verba in verbera verterentur.

GILLOTO
Arnaudus.

ET virtutum, & amicitiæ, & beneficiorum nõ poſſum nõ reminiſci. His Avenioni, primùm delibatus,

dein Lutetiæ imbut⁹, in medio calumniarũ te columnã reperi. Et, quod magis miror, dũ immeritò ab impostorib. petebar, tu advenã fovebas, & fere ignotũ. Sicq; & tuorũ beneficiorũ, & illorũ malefi-ciorum immeritũ amplexus es. Alter dum eram Socrates apulleianus, tu alter Aristomenes. Nec satis erat, contra infortuniũ pugnasse. me lautissimo insuper convivio cõvictum voluisti. Ex improviso accersitus adfui humanissimè except⁹, & amœnissimos domesticorum vultus expertus. A limine deinde ad Musarum chorum, & Nympha-

rum choream ductus. Primùm à benedicentibus Musis benedictâ musicè mensâ dulcissimo tuarum sororum cãtu nos beasti. Convivium ita decenter paratum, tanto cum ornatu epularum, quæstionum, jocorum, ut inde dubium non minimum, lautiúsne habueris animos nostros, oculos, aures, an vẽtres. Omnia, inquã, decẽter. vno excepto. Iã sit venia. Nõ erat sine sanguine mẽsa, imò tota sanguinea. Arena potius, quã mẽsa. Tot ferarũ genera, tot corpora prostrata, hoc gladio, illud sclopeto, alterũ laqueo: ut nõ cõuiviũ, sed conflictũ, aut Cãnẽsẽ cladẽ poti⁹

referret. Et, quod magis crudũ, nos ipsi in mortuorũ corpora sęviẽtes, & gladios in jugulũ figẽtes, & dẽtes in viscera. nõ solũ in infesta animalia sed in domestica animosè egimus. Ita ex parvo vẽtriculi spatio his factũ sepulcrũ, pulcrũ certè, si pro repu. aut pro amicis, non pro cupedia. cõdimẽta taceo, aromata, atq; id genus illectamẽta, quæ affatim suppetebãt. Quî potuerit igitur dici cõviviũ, ubi sit cõmortalitas tanta? Dulce & laudabile cũ amicis cõvivere & cõvivari, modò tot vitę ad cõvivia non pereãt. Cõbibiũ potiùs, & comediũ sit. Sic igitur comedi facti, & incõpu-

tabiliter compotores ſumus: quãvis non deceat efferre, & referre quę inter pocula acta ſunt. odi ſiquidẽ memorem cõpotorẽ. Tãdẽ à Gratiis gratiæ actę dulciſſimo melodio quo aures refectæ, & refertę. Et ne quid deſiderari poſſet, delati ſunt libri: Baifij, inquã, verſus à Claudino muſici facti: in quibus neſcio quorum alterũ magis laudẽ. Eſt enim nova arte, novo marte ab utroque compoſitũ. His igitur arreptis, à te voce ſonora, à ſororibus blandula, à clariſſ. Turnebo harmonica diu, ſi horas, momento, ſi aures interroges, cantatum eſt. Sic itaque deſtructis menſis, di-

ſtractis ſedibus, nundum ſatis inſtructis mentibus, ad muſeolum ducti, quid non vidimus? Nova mentis pabula, novas delitias.

Inter quas fuerunt ridentes puellæ lacrymantis oculi. quorum intutus non ſatis tutus, viſus nunquam ſatis viſus. Oculi aculei acutiſſimi, antea ignivomi, nunc flentes, imò fluentes: qui radiorum jacula in omnium præcordia contorquebãt, in tumorem, & humorem defluunt. Oculi, qui millies mille torquebant, & torrebant, mille torrentes facti ſunt. Nec tamen minùs torrent. Et Cupido il-

le, qui in oculis puellæ joculatur, ex hiſdem loculis jaculatur. Imò & ipſe cum illius oculis in aſpectantium præcordia delapſus acerrimum commovet incendium: nec medellam medullis admoveri ſinit. Intutus, qui omnes intus inurebat, qui omnibus inhærebat, ut numen, jam flumen factum. Aqua illa non æqua in ignẽ, ignis in aquam vertitur. Hem! quàm ignotus ignis ignoſcens nemini, imò cuncta igneſcens. Puellula ſiquidem bellula, blandula, delicatula, quam omnes Veneres venerantur, ipſius Cupidinis cupiditas, quæ tota vre-

bat, nunc tota lacrymis mergitur, tota ſimul, & humore, & Amore. Nec potuit aqua ignem, aut ignis aquam perdere, aut pellere. Quin ex oculis ſimul lumen, flumen, & fulmẽ: in oculis ſimul Amor, ardor, aquor, & æquor. O miſeri amantes! qui creditis flammas aquis, aut aquas flãmis extingui,

Sanatur nullis ardor Amoris aquis.

Quid tandem Najadum illa pulcherrima? & ardorem in aquis & humorem in igne; imò vtrumq; in vtroque miſellam experiri neceſſe fuit. In hoc tamen æſtu mira aſtutia: ad ſanandum quipe focũ

ſola aqua fucũ fecit: nec profuit. Poterat Endimion abeſſe, ſed non ab illa eſſe: nec minùs abſens abſumit illam.

GILLOTO

Regis in Senatu Pariſienſi Conſiliario.

Incertus.

NVper me convivã, clariſſime Gillote, lautè accepiſti, mẽſam onerãs, & honorãs catinis, & magidis immanibus, non illis quidem inanibus: ſed ſuaviſſimorum ciborum pleniſſimis. Nec, ô felix! offelli illius anormis norma cœnam paupere opere adornatam vocatis prębuiſti: ſed delicatis delectisq́; rerum optimarum ſuccis

fauces inbuiſti: ſitis vim vinoſis cyathis inhibuiſti: avidam, rabidámque famẽ non vulgaribus epulis depuliſti. Adſedi non ſpectator, ſed ſectator tacitus, citúſque non fugientis Leporis, qualia Tantali eſculenta, poculentáque ſuper undarum marmore ſitientis, ſub fructicoſa arbore eſurientis, fugacia memorantur nec morantur. Quia fluctus excidunt, & ſubſidunt: fructúſque tolluntur, & extolluntur. Sed me expetentem expectãtes cibi ſibi non conſulentes ultra in meas venêre manus. Inde in os iniecti, & ingeſti ſapidis ſapori-

bus oblectantes ſtomachum mihi ad moderatam gravitatem ſaturarunt, & ſaburrarũt. Nam ne in cœna incœnatus cum opulẽto accubarem (vt difficile eſt placitis bonis abſtinuiſſe) ambabus malis expletus voravi, & in cladem obſoniorum aciem gladiorum converti: verecũdari neminem apud menſam decere putans. Ibi tu vultu adſidẽs læto, & jucundo dulce Nepenthes poculum omnibus propinabas: dicta docta infundens auribus, & tota tecta hilaritate replens. Iuſſerat aliquis calices amariores ingeri: vt lex poſtumiæ ju-

bet magiſtræ: ſed jocosā petitionē ſimilis non eſt ſecuta potatio. Mens à menſa poſt menſam eadē omnibus fuit, quę fuerat ante cœnā. Poſtquam autem pollucibiliter cœnando in malacū me procuravi modū, aut (vt Virgiliano more, & ore loquar) poſtquā exempta fames epulis, menſęq́; remotę, motæ ſunt inter nos quædam quęſtiunculę. Vt qui dentes convivio exercueramus, mentes quoque colloquio exercerem⁹. Ibi certatū labellis, hîc inſuper & libellis. Hîc multa de pectore edebamus, ibi multa pectore condebamus. Ibi

Lepores secabamus, hîc lepores sectabamur. At tu multa memoriter memorans è memoriæ promebas penu: cùm ego penuriâ memoriæ prodens pauca, quæ fugitivá obliuionẽ effugerant, offerebam. Cũq́ue multa laudares, quibus eras ipse laudabilis, deventum est tandẽ ad lacrymas. Amabiles lacrymas, quarùm ingentẽ vim non tristia lumina, sed fœcunda facundi oris flumina profuderunt: quæq́ue mihi voluptatem tãtam attulerunt, imò ab omni voluptate tãtùm abstulerunt, vt has solas lacrymas cogitarem, in his solis solidè

bent artem, & partem magnã faciunt eloquentiæ. Harum guttæ lucidæ quolibet vocis pondere ponderosiores pectora mea, quæ non satis sibi caverunt, cauaverunt. His lacrymis oportebat deliciarum, blanditiarum, venustatumq́ue matrem Venerẽ Adonidis venustuli, Adonidis lacrymabilis, vel post mortem amabilis. Adonidis denique sui à Sue appetiti, & impetiti morsum, mortemq́ue amaram amarè lacrymare. His poterat blãdulus Orpheus, fletibus pro fluctibus utens Acheronta transnare, ad amantis amatæq́ue Eury-

dices pectora iter iterũ mo-
liẽs, Plutonis adamantina pe-
ctora, ſecũdò molliẽs, ſilen-
tium imaginibus, inanibusq́
manibus imperare: dulcium-
q́ue ſuorum amorum ab exi-
tu exitum impetrare. Quíq;
aſperis gaudet lacrymis, his
lacrymis poterat Amor non
moueri ſólùm, ſed etiam re-
moveri. Quid dixi poſſe re-
moveri? Fallor. Si ſemel his
lacrymis paſceretur, nunquã
poſtea crudelis, cruentusq́ue
puer, niſi ſimilibus lacrymis
compaſceretur. Nã vt Apes
Cytiſo, ſic nec Cupido cupi-
dus lacrymis ſaturatur. Ita cũ
cupies Amorẽ amoveri, tunc

ille contrà lacrymas tibi pro cibo cupiet admoveri. Quas cùm laudo, quibus cum applaudo laudes earum culpa deterens ingenij, vereor, ne risus cachinnabiles ex lacrymis prodeant: donec tãdem ex risu vicissim, & lacrymis etiã lacrymæ redeant, simul Democritũ, simul Heraclitũ ingrata vicissitudine, & lassitudine referentes. Agam igitur potiùs tibi, doctiss. Gillote, gratias, qui me tam lepidè lepidis excepisti victib⁹: quibus non tantùm famem expellerem, sed animum simul explerem mellitis ciborum, & librorum condimentis.

IN RABVLAM.

ARNAVDVS.

ADvocatus nuper vocatus, & ante annum à nemine invocatus hîc adest: homo novus veterem aucupans gravitatem. Cuius progressuũ patulorum tota vrbs incapax: verborum strepitu, & resonantia amentissimus; suæque ipsius Echus amantissimus. Natus ex fœtore nostri seculi: sicut Bacchus ex fœmore Iovis. Et qui sub felici tempore ignotus, hac tẽpestate natus nothus. vel ex mestruis excrementis mise-

riæ nostræ conceptus: voce, & gesticulatione panicos terrores excitare gestit. Illex, & iners: improbus, invidus, lividus. qui à jure ad injurias evolavit: nullâ Oratoris partē, nisi dentes mordentes, retinens. Non, inquam, oratoris acumē, sed aratoris aculeum, animumq́ue feræ furenti similem: qui dum bonos odit, & prodit, seipsum livore rodit. Noster is est Advocatus toties adnotatus: infamia famosissimus, suo unico judicio doctissimus, & veri meri meritissimus. qui bonis solū oblatrare novit, justis obstrepere; auro hinnire, honori

inhiare. Cujus oculi intutu minantur,aures rigent, nares hiant,ora sæviũt: absono suo clamore, & agresti vociferatu aures omnium obtundẽs. Iam ille rabula, mox vulgi fabula, non tã beneficio, quàm veneficio temporis licentiatus, dum licet quodcumque libet, quàm imprudenter probitatem probris cõmutavit! Ideóque non, ut æquus, clientelis: sed tãquam Equus clitellis onerandus. Auriloquus non tam patrocinium, quàm latrociniũ exercet. Iurisprudentiam imprudenter tractans, causas agit, nec tamen peragit. Iudicibus sua-

det, nec tamen unquam persuadet: ab ignaris solùm verendus, & reverendus.

Vestram hîc opẽ imploro, Iudices. huc adstote, patres. hunc istũ foro repellite: imo loro pellite: hunc fœdum, & ferũ à foro in inferos relegate. Iustitiæ in loco locum injustis non date. necenim malè audientẽ publicè audiri fas est: aut de ęquo iniquum respõdere. qui maledicta nõ cõtinet, à malefactis non abstinebit. Suorum cujusq; morum lingua fidelissimum testimoniũ. Nunc inquam, Iudices, injuriæ publicæ estote vindices. Et si suum cuique

consulte iurisconsulte, qui misera trepidatione ad inopiam consilij deductus caussaris ineptè: ideóq; tibi caussaria missione opus: & ruditer rudere solitus, rude donãdus es: Pasiphaës amor, & delicię, verbis, & verberibus castigandus. Tuæ orationes & exalationes sive sursum, & ab ore, sive deorsum, & à posteriore efflent, parum differunt. Tua illa dicacitas, sola mordicacitate ornatur: qua contra quos non acerbè exclamas? Hoc morbus in moribus est. Tu dum alios insimulas, solus bonus credi putas? Non ita virtus viru quæ-

ritur. hujus nomen benignitas, non ignitas, aut malignitas meretur. Novus igitur homo hos mores depone: novos compone. longè vitia, & convitia pone. Veræ enim laudes fraude nequaquam quæruntur. Optimum itaq; si quæris remedium, mediũ est. Et sic hoc medio finem facio.

De Cacofrono poëta.

GVIRANDVS.

Cvm Natura morbo correpta, & jam corrupta fuisset, urinam ad Æsculapium misit. Ille ut vidit, heu!

malè ſe habet : periclitatur. adhibēda phlebotomia. hoc primùm, tabellarie. deinde, recipe iſtud Recipe, quod ſcribo. Ito jam: & curre, ut ei ſuccurratur. Rediit nuncius. Compoſita eſt potio: eamque Natura ſperans, & ferè expirans potavit, & portavit tandiu, ut jam deſperaret de ſalute. Tandem cum eadem morbū emiſit, unde craſſiſſimus Cacofronus emerſit. ut vidit Natura tam bellam belluam ex ſui ventris faſce, & fæce natam, hui! morbus hîc meus quidem eſt. ſana ſum. is autē fœtus tam fœtidus hinc removeatur. Venit Pluto.

vertentes oculos, exclamant pauidæ. Adſis, noſter Apollo: arcum tende: monſtrum monſtrabimus, quod ad nos tendit. alter Pithon. Adſum, inquit ille: nihil timete. nec enim homines talis ſtaturæ, & ſtructuræ Parnaſſum aſcẽdunt. Ita Cacofronus in mõtis radicibus ſiſtere cogitur. Hîc tamen videns terrã madidam ex liquore, qui è fonte pegaſeo fluit, dicit, Hoc ſufficit, Statim feſſus foſſam fecit. ſed nihil potuit elicere, niſi merum lutum. in eo tamen proluit ora, tanquam Porcus, & diſceſſit. Non igitur mirum, ſi ea, quę ex labiis

EPISTOLÆ.

M. ANT. GRANERIO
Domino Montisfuroni Senatori.

ARNAVDVS.

ET tu, quid agis, amantissime rerum, ferventibus, & furentibus bellis? Nec excitaris classico, meo nec calamo cõcitaris? Nec te communes movent miseriæ: te nec monent miserrimi rationes, & orationes? Sub te signa lignea ampla stipendia meret, dum passim boni immeritò mœrent. Tu vitam degis sub tecto, dum cæteri continuò

morantur ſub dio. Alij dum ferrum tractant, tu libris, & forſan liberis das operam. Tu lautè, ne dicam cautè, & lætè vivis, dum cęteri ægrè, lentè, & macilentè. Dum in utramque aurē ſecurus obdormis, cęteri inſomnes integras noctes tranſigũt. Dumquę muſicis ſonis, & cantibus indulges, cæteri tormentis bellicis tonātibus obſurdeſcũt. Perq́ue hortos, & prata dum luxuriaris, cæteri ſteriles campos, arduaque montium percutrunt. Dum ſole, & æſtate areſcũt, & nigreſcũt, tu in umbra moleſcis, cādeſcis, & torpeſcis laſciviens. Cum,

inquam, bellis rebus incũbis, ſam tu artem, cæteri luctuoſum Martem ſectantur. Illi dum Equos frenis, tu non æquos frænas: foris illi, tu domi domas. Dum illi calcaria ſubdunt, tu calculis rationes ſubducis. Stragulis dum ſedēt, vel ſuperequitāt, tu ſtrato ſupinus, & reſupinus cubas. Denique ſi de mortibus cæteri tractant, tu volumina de moribus pertractas. Et quamvis nũquã minùs otioſus, quàm cùm in otio.

Nam labor in requie eſt, inq; labore quies.

Negotium tamen faceſſere ſum auſus: & tanquã ex muſtaceo laureolam. Hoc ego

jamdiu prædixi facturũ me aliquando, ut pennam tuã in meam pœnam verterẽ. obtinui, & ex voto, ſi modo reſponderis quantumvis injuriosè. HOC enim modo laceſſitus ignoſco: tu modo non ignores, aut ſis oblitus qui ſim, & quàm tuus ſim, vale.

SPIRIT. PARISIO LOCVNT,
SVBMISS. FORCALQ.
Arnaudus.

VIdi quos in verſutũ, & verſipellẽ edidiſti verſus: quodq́ue jam elapſum tẽpus è memoria delere cœperat, tu nunc iterũ quaſi dõlere cogis. Illius certè nequitiam abhorreo: & ſi res, de

qua agitur, id ferret, libenter agenti ad restitutionem annuerem. Sed nō tam nocuit, quàm docuit, posthac similibus minùs, aut minimè credēdum. Reliquum quod est, ex his, quæ mihi multa benevolè, & libenter tribuis (quãvis minimè concedam) animum tamen tuum erga me plurimum laudo. Et quia ab amicissimo prodeunt, non quasi lethale vulnus, sed lætũ munus ludificè amplector. Vale.

ARNAVDO.

GVIRANDVS.

EGregiè falsus es. hoc unum (te judice) licèt non

sêre igitur amœnæ illæ camœnę meum sacharũ, mea vita. abierũt proh dolor! me relicto non in illius divini furoris calore, sed squalore, & lacrymis Et, quibus antea nõ ingratum erat nobiscum habitare, tantis cladibus perterrefactę grata loca petierunt. Sunt modo ipsę cum fido Apolline sacris in mõtibus, nos in motibus bellorũ, seu potiùs mortibus omnium rerũ. Mirari ergo desinas, si cùm (Musis absentibus) ita bello perculsa, & prostrata jaceant omnia, nova non carmina, sed crimina audiantur. Demus Musas adesse: non ob id

aderunt versus. Namque.

Secessus quærit, fugiens negotia, vates,
Cum Musis, faciens carmina, sacra facit.

At quis potest reperiri secessus inter tales successus, quibus impius Mars omnia occupat: diráque Erinnys cunctivoras belli faces ubique accendit? Quę otia inter excursiones, direptiones, expugnationes, certamina, & nocturnas diurnasq; excubias? Quæ animi quies, quæ securitas, rebus omnibus ita nõ solùm adversis, sed eversis? Agas saltem, dices, solutis modis. Quid scribam? res funestas, quibus omnia redũdãt? & quas mallem ipse (si possẽ)

ſuprimere, quàm exprimere? Iocare nobiſcum. Quaſi verò hoc omniũ teterrimo tẽpore jocos ſcribere aut aveamus, aut habeamus. Eſt enim tempus non ludendi, ſed lugendi. Inſuper, quâ fronte auderem ipſe ad te: cujus oratio apuleianos lepores ſapit? Cùm ergo in ſcribendo mihi ſit nec facundia, nec tẽpus, nec locus, nec jocus, à me ſpectare literas extra rem ſit. Scis tandem quid velim? venias quamprimùm. Veni ergo, deliciolum noſtrum: ut quam tuo diſceſſu amiſimus hilaritatem, tua præſentia recuperemus. Quid animi no-

quibus in tua epiſtola ſolari ſoleo. Ritè, & rectè, mi Guirande: qui animi mediocres cogitationes, vel agitationes pindico verſu, certis numeris, hisq́ue innumeris explicas, dulci ſtylo mulces, divino ſpiritu inſpiras. Nunc autem, ne quid deſit ad curioſitatem, libera charta ſpatiari libet. Tibi namq́ue utrumque, dum licet, belli tempore latum ſumis campũ. Sicut enim non habent arma certam mercedem, ita nec certã ſedẽ. Armis noſti non ſolùm noſtram libertatẽ tueri, ſed & aliorum cervices teri, aliis ſervitutes quæri. Non pote-

rat igitur tuus ille gnavvs animus inter gloripetas ſtrictis modis, & modulis contineri, parvulis nec pedibus ſuſtineri. Rectè, inquàm (mi Guirande, imò mirande) qui nõ ſolùm pindico verſu, ſed limpido, & eloquenti eloquio in nos agis, vetere illo ſcribẽdi genere renovato vel poti⁹ doctiſſimè innouato. Quod vtinam Lucius noſter vidiſſet: ædepol invidiſſet. Sed quid hîc moror? ad me redeo. Tanta fuit inter legendum alacritas, tanta mentis hilaritas, ut quod ſupererat animi in vulgata noſtrorum latinantium oratione, peni-

tus, & funditus abegerim: iamque ab illis & oculos, & aures avocarim: utrumque tibi sacrum meritò futurum. Hęc igitur tuo genio voveo: tuque meo ingenio ita virtutum tuarum avido, faveto. Aue, & salve, & me ama, & Cæsariolum nostrum. sic me victum, & omni ex parte devinctum jubebis, & habebis.

ARNAVDO

GVIRANDVS.

SCripseram pudenter satis, utinam satis prudẽter: non ut tuæ literæ, sed tu ipse

venires. Desiderio namque penelopeio dicebam.

Nil mihi rescribas: aut si rescribere velles,
Sis mihi responsi nuntius ipse tui.

Ita sperabam futurum: sed quàm delusus spe, epistola tua testatur. Quam ut vidi, visus sum me mihi penitus subtrahi. Ad me tamen aliquantulum, ea perlecta, sum reversus. Quis enim tam attonitus, qui tua legens non resipiscat? Hem! dicebã, quodnam infortunium, Guirãde, non mirande (ut ipsus ait) sed miserande, in tuis rebus excubat? quis genius genio tuo magis vividus, illique invid⁹ quod dulce tibi evenit, mo-

leſtia ſolet aſpergere? Nunquid nimiùm erat, Avenione diſceſſiſſe, & amicorum orbari præſentia, quos relinquere nolebas, ſed dolebas: niſi etiamnum Arnaudi conſuetudine excideres? Cuius ab ore totus pendebas: cuius lautitiæ animi tui erant & pabulum, & poculum: cujus ingenij ſagacitatem, animi magnitudinem, & in omni re comitate conditam gravitatem admirabaris: quem denique quum videbas, vivebas: & quo abſente, inter vivos non moraris, ſed rectiùs moreris. Eo præſente, non modo favebant Muſæ, imò

tibi famulabantur: tibiq́ue aliquid renuere nō probum, ſed probrum ducebat Apollo. à quo tandem aliquando & Laurum, & aurum acce- piſſes. Iam verò receſſit Arnaudus, receſſere Muſæ, receſſit Apollo. Sic à me ipſo alienus mecum ratiocinabar. Modo autem qua de re tecum primùm expoſtulem, me latet. Patet tamen ampliſſimus conquerendi campus de Marte, qui te mihi, meq́ue tibi, vel potius me mihi ſurripuit. Quòd ſi propediē mihi redditus non fueris, etiam ipſi bello bellum indicā. Niſi, inquā, redditus fueris.

Conquerar, & superos, & forsè Acheronta movebo,
Tela lycambeo tincta cruore vibrans.

Interim taceo: ne plura scribendo te mearum literarum cupidum (ut ais) diutiùs absentem retineam. Vale.

GVIRANDO

ARNAVDVS.

IAM cur non citiùs respondeam cogitas, & meritò, & immeritò. unum, cùm debeam: alterum, cum non satis, aut concinnè possim. Nec enim otij superest quicquam; negotij plurimùm. Tu autem petis, ut non respondeã, imo eam. Hoc ego certò spondeo, me nũquam

te uno sit. Cum enim inter scribendum, tuæ gravitatis imago subit, lingua titubat, errat manus. nec animus sufficit, tanquam præsentia cujusdam numinis lymphatus, & numinis lumine stupefactus. Sic attonitus hęreo. scribo tamen. Mirari desine. potest quidē gravitas multùm: verùm quid non potest humanitas, quæ sub tanta gravitate conditur: & qua gravitas modestè conditur. Ita ut, quod gravitas dejicit, humanitas erigat: quod illa negat, hæc concedat: quod illa aufert hęc restituat. Illa namque vetat, hæc jubet: illa reti-

net, hæc impellit: illa fugat, hæc allicit. Mirari ergo desine. Gravitas timorem, humanitas tumorem inducit animo. Sic ego audacter timid⁹, & verecundè tumidus ad te rarò, ad te sæpe scribo. Tu verò in utroque velim mihi concedas veniam, & venias, & valeas.

GVIRANDO
ARNAVDVS.

Mirum quî possim tandiu abesse, tandiu hîc esse. utrumque crudele, haud credibile. Quomodo enim fieri, aut credi potest, eum, qui patriā perditè amat, vel

integro abesse mense? qui familiā, amicos, & tua illa dulcissima colloquia, & eloquia perdiligit, cæteris quibusvis negotiis tandiu retineri? O ęcurrunt infinita, quæ me angunt absentem, præsentem rapiunt. Plura dū adsum, quę simul contendunt: à quo rapiar, cui me illorum dedam nescio. Idq́ue fit, si scribas, legas, recites, aut fabuleris. Id, inquam, quodcunque agas, aut volvas. nec possum etiam ilorum nunc reminisci sine raptu, utinam totus raperer. Valetudinem, & res nostras cura, & me ama.

ARNAUDO
GUIRANDUS.

SEmper epiſtolæ? Nunquámne Arnaudus? Tandem ergo, velim nolim, mihi cum bello, cui nihil belli, res futura. Acta, tranſacta omnia; ſtat ſententia, ſigna data: cæſim, ac punctim dimicandum. tantum certamen fugere quidem, aufugere nō poſſumus. Agite, Muſæ: pergite, Muſæ: jam veſtra opus præſentia. Quî namque mihi, à quo nunquam & nuſquam fuiſtis offenſæ, tantopere infenſæ videmini? Hoc modo, Arnaude, novis quaſi

jam furiis accensus agebar, cùm repentè præsentiam alicuius numinis sentiens stupefactus obmutui: unamquè è novem sororibus (quæcũque illa fuerit) his verbis verba mea interpellantem intellexi.

Plurima jam teritur bellis civilibus ætas:
Viribus & propriis Gallia tota ruit.
Gallia tota ruit, quam non Germania tota,
Anglia tota simul perdere non poterat.
Nunc civilibus, ac magis incivilibus armis
Viribus & propriis Gallia tota ruit.
Nulla salutiferæ restant vestigia pacis:
Cũcta tenet Mavors, docta Minerva jacet:
Ipsa jacet virtus, jacet & Latonius heros:
Necnon germanæ conticuere meæ.
Et gens in gentem, bello urbs ardescit in urbẽ:
Atque domus domui bella cruenta parat.
Et fratri frater pugnat, cum conjuge conjux:
Atque pater nato, natus & ipse patri.

Neúve greges cāpis, nec ciues urbibus insunt:
Incola verus abest, advena durus adest.
Tinnitus nunc est armorū, hinnitus Equorum,
Atque tubæ clangor, jubila grata viris.
Aurea non, argentea non, non ænea, nec nunc
Ferrea, sed plusquàm ferrea secla vigent.
Quando viris miseris nunc stat pro pectore ferrum,
Pro miti durus stat quoque corde lapis.
Est intus ferrum; ferrū quoque cernitur extra:
Cuncta tegit thorax, & galea, & clypeus.
Ferrea nulla tamen, non ænea cernitur ætas:
Argenti, vel nunc aurea secla vigent.
Aurea secla vigent. quid non corrumpitur auro?
Aurea qui donat munera, victor abit.
Arma quidem, verùm non pro pietate geruntur.
Bella quidem, non pro rellígione vigent.
Istud in ore sonat cunctis: Est si violanda,
Regnandi causa lex violanda venit.
Heu pietas! heu prisca fides! heu sancta vetustas!
Quàm contempta modo, pro nihiloq́; jacent!
Heu Galli, Galli! quænam vos tristis Erinnys
In vos præcipites ad fera bella rapit?
Quis potuit tantas bellorum incendere faces?
Effera quæ rabies portat ad arma manus?

Tigribus haud Tigri certare, Leóve Leoni,
Haudq́ Lupos unquā cernimus esse Lupos.
Conditio melior multò, statusq́ ferarum,
Quæ non inter se bella cruenta gerunt.
Viperei pulli genitricis viscera rumpunt,
Et Galli matris viscera chara petunt.
Jn tua cur acuis, demens, præcordia ferrum,
Gallia, cúrve tibi toxica dira paras?
Nil ratio prodest? fidei nil lumina prosunt?
Nil regni stimulat pectora priscus honos?
Nil prodest illud sanctū, & venerabile nomē
Christi, quod regni cernimus esse decus?
Quid mirum? Pietas quādo contemnitur ipsa,
Contemptusq́ jacet relligionis honor.
Jnde fames, luctus, clades, incendia, pestis:
Hinc meritò Gallos numinis ira premit.
Hæc tibi dicta. Tuis jam (dixit) parce querellis:
Arnaudus nam mox venerit ille tuus.
Cúmque ipso veniam, mecum veniéntque Sorores:
Et forsan veniet noster Apollo. Vale.

Hactenus Musa ad me. Ego mutus, & quasi mortuus te specto: ut tātùm dicere possim, Vale.

GVIRANDO

Arnaudus.

FIeri non potest, quin rerum domesticarum doleas sortem: sed, quæso, cur non & nostram: quæ non minus, imò magis miseriam ipsam redolet. Minus igitur dole, quòd omnes dolent, vel quòd me ipsum dolet. Illudmet, quod te agit, me ipsum angit. Deus hæc nobis negotia fecit. Ne spem obiicias, tandem aderit ille. Novi jam antea, me non diu abs te futurum. Novo deinde casu cunctabundus hæsito. Quid

de morbo timendum ſit doceas, quæſo, & me ames, & valeas.

M. N. GRANERIO DOM. Montisfureni Senatori

Arnaudus.

MInitabaris noviſſimè, ni minuerem pigritiã, neſcio quid pravi: proſcriptionem nempe, ni ſciberẽ. Crudum hoc, mehercule, & crudele. Etiamſi nihil habeã, quod pingam, vis tamen impingam. Literas tu ſemper ſpondes: nihilque reſpõdes. Libentiſſimè hanc ego litem literis terminarem, ſi modo terminus illis eſſet. Iam plu-

ra, & plurima ad te misi, quàm otia patiebantur. Multa dixi: nihil tamen dixi. Verba illa erant sine sensu, aut succo: & à quibus si dementiam demas, parum supererit, imò totum deerit. Nec est quod insurgas, mihi non deesse argumenta, passim arma dum circumferuntur: ubique vis dum vivit: multa dum mala sine mulcta patrantur: à paucis dum vitantur vitia. Miles mille rapinas trahit, à duce ad perniciem ductus. Bellum in imbelles, & imbecillos agitur. Hastis non hostes, sed hospites petuntur. Tota

militia malitià plena. Iniqui equites: pessimi pedites. Nihil quicquam minus est magistratu. Principum spreta sceptra: fana fanaticè profanata: senatus authoritas exautorata: leges ne quidem lectæ, omnia denique subversa. Plura quidem hujusmodi essent, quæ describi possēt: sed nec à me, nec hoc tempore. A me, qui plurimùm timeo, dum omnia tument. Vera autem proferre, nihil intempestivius hac tempestate. Hujus igitur generis epistolas si speras, spem eludis. Hæc enim spectacula sunt à nobis minimè

expetenda, aut ſpectanda. Hęc ſi ſcribere velim, hęreo, & pereo. In iſtis, niſi caput habeam ſine lingua, corpus erit ſine capite. Meæ quoq; epiſtolæ nec illa edunt, quæ animum lædunt, aut edunt: quin illa ſolùm, quæ animũ illectant, & oblectant. Quid igitur vis ſcribam, mi Graneri, dum ſcelera celeritate cõmendantur, gravitate exaltãtur? Omnia cùm talia ſint, non ampliùs ſcribo. Tu interim vale, ſi poſſit inter tot morbos, inter tot mala. Quo ad me, ſi potero, tacebo & valebo.

CL. ARNAVDO FRATRI Senatori Aquensi.

A. ARNAVDVS.

RVbiginem jam altè cõtraxerant, mi frater, & penna, & manus. Iam chartę elingues languebant, longa temporis interjectione. Sed satius serò, quàm nunquam. Serò scribo, nec adhuc serio: nundum omni ex parte sereno cælo. In tanta autem malorum serie quid fecissem? quid scripsissem? De rebus domesticis? mœsticia pura. De publicis? nihil gravius. Deperditis enim rebus aura illa auribus pestilens. Nunc,

quia leviora hominum aliquantulum ingenia, animos recipiunt calami : reficitur ſtylus: chartis lux conceditur : itinera patiuntur pedes: fores foris venientibus patent: urbanitas urbes ingreſſa: & inter cives civilitas quędam renovata. Sicariorum jam ſiccior ſica. nec amplius à plebecula leges illegitimæ feruntur. Magiſtratus non penitus proſtratus : neque toga omnino ſordeſcit. O ſeculi hujus beatitas, & bonitudo! quæ noſtras temperat mentes amentes. Felix tempeſtas! quæ civiles pellit peſtes. Iam libertas, mo-

do captiva, postliminio reversa videtur. Beatum, inquam, seculum. Si mihi hoc erogaverit, ut possim te saltem his codicillis salutare, si tibi prospera precari, si denique felicitates omnes liceat enunciare. Sed multo beatius, si te ipsum cernerē: te vel amplecti possem: si tuo vultu, & tuarum virtutum cultu perfrui: tuáq; dulcia, docta, & gravia eloquia auribus haurire. Diem illam quàm libenter arriperem! quàm avidè súrriperem! etiamsi hinc nomen meum apud Tresviros, aut Centumviros capitis foret. Sed quid

net, hæc impellit: illa fugat, hæc allicit. Mirari ergo desine. Gravitas timorem, humanitas tumorem inducit animo. Sic ego audacter timidꝰ, & verecundè tumidus ad te rarò, ad te sæpe scribo. Tu verò in utroque velim mihi concedas veniam, & venias, & valeas.

GVIRANDO
ARNAVDVS.

MIrum quî possim tandiu abesse, tandiu hîc esse. utrumque crudele, haud credibile. Quomodo enim fieri, aut credi potest, eum, qui patriá perditè amat, vel

integro abesse mense? qui familiá, amicos, & tua illa dulcissima colloquia, & eloquia perdiligit, cæteris quibusvis negotiis tandiu retineri? Occurrunt infinita, quæ me angunt absentem, præsentem rapiunt. Plura dũ adsum, quę simul contendunt: à quo rapiar, cui me illorum dedam nescio. Idq́ue fit, si scribas, legas, recites, aut fabuleris. Id, inquam, quodcunque agas, aut volvas. nec possum etiam ilorum nunc reminisci sine raptu, utinam totus raperer. Valetudinem, & res nostras cura, & me ama.

ARNAUDO

GUIRANDUS.

SEmper epiſtolæ? Nunquámne Arnaudus? Tandem ergo, velim nolim, mihi cum bello, cui nihil belli, res futura. Acta, tranſacta omnia; ſtat ſententia, ſigna data: cæſim, ac punctim dimicandum. tantum certamen fugere quidem, aufugere nõ poſſumus. Agite, Muſæ: pergite, Muſæ: jam veſtra opus præſentia. Quî namque mihi, à quo nunquam & nuſquam fuiſtis offenſæ, tantopere infenſæ videmini? Hoc modo, Arnaude, novis quaſi

jam furiis accensus agebar, cùm repentè præsentiam alicuius numinis sentiens stupefactus obmutui: unamque è novem sororibus (quæcunque illa fuerit) his verbis verba mea interpellantem intellexi.

Plurima jam teritur bellis civilibus ætas:
Viribus & propriis Gallia tota ruit.
Gallia tota ruit, quam non Germania tota,
Anglia tota simul perdere non poterat.
Nunc civilibus, ac magis incivilibus armis
Viribus & propriis Gallia tota ruit.
Nulla salutiferæ restant vestigia pacis:
Cuncta tenet Mavors, docta Minerva jacet:
Ipsa jacet virtus, jacet & Latonius heros:
Necnon germanæ conticuere meæ.
Et gens in gentem, bello urbs ardescit in urbem:
Atque domus domui bella cruenta parat.
Et fratri frater pugnat, cum conjuge conjux:
Atque pater nato, natus & ipse patri.

Neúve greges cāpis, nec ciues urbibus insunt:
Incola verus abest, advena durus adest.
Tinnitus nunc est armorū, hinnitus Equorum,
Atque tubæ clangor, jubila grata viris.
Aurea non, argentea non, non ænea, nec nunc
Ferrea, sed plusquàm ferrea secla vigent.
Quando viris miseris nunc stat pro pectore ferrum,
Pro miti durus stat quoque corde lapis.
Est intus ferrum; ferrū quoque cernitur extra:
Cuncta tegit thorax, & galea, & clypeus.
Ferrea nulla tamen, non ænea cernitur ætas:
Argenti, vel nunc aurea secla vigent.
Aurea secla vigent. quid non corrumpitur auro?
Aurea qui donat munera, victor abit.
Arma quidem, verùm non pro pietate geruntur.
Bella quidem, non pro relligione vigent.
Istud in ore sonat cunctis: Est si violanda,
Regnandi causa lex violanda venit.
Heu pietas! heu prisca fides! heu sancta vetustas!
Quàm contempta modo, pro nihiloq́ jacent!
Heu Galli, Galli! quænam vos tristis Erinnys
In vos præcipites ad fera bella rapit?
Quis potuit tantas bellorum incendere faces?
Effera quæ rabies portat ad arma manus?

Tigribus haud Tigri certare, Leóve Leoni,
Haudq́; Lupos unquā cernimus esse Lupos.
Conditio melior multò, statusq́; ferarum,
Quæ non inter se bella cruenta gerunt.
Viperei pulli genitricis viscera rumpunt,
Et Galli matris viscera chara petunt.
Iit tua cur acuis, demens, præcordia ferrum,
Gallia, cúrve tibi toxica dira paras?
Nil ratio prodest? fidei nil lumina prosunt?
Nil regni stimulat pectora priscus honos?
Nil prodest illud sanctū, & venerabile nomē
Christi, quod regni cernimus esse decus?
Quid mirum? Pietas quādo contemnitur ipsa,
Contemptusq́; jacet relligionis honor.
Inde fames, luctus, clades, incendia, pestis:
Hinc meritò Gallos numinis ira premit.
Hæc tibi dicta. Tuis jam (dixit) parce querellis:
Arnaudus nam mox venerit ille tuus.
Cúmque ipso veniam, mecum veniéntque Sorores:
Et forsan veniet noster Apollo. Vale.

Hactenus Musa ad me. Ego mutus, & quasi mortuus te specto: ut tātùm dicere possim, Vale.

de morbo timendum ſit doceas, quæſo, & me ames, & valeas.

M. N. GRANERIO DOM. Montisfureni Senatori

Arnaudus.

MInitabaris noviſſimè, ni minuerem pigritiã, neſcio quid pravi: proſcriptionem nempe, ni ſcriberẽ. Crudum hoc, mehercule, & crudele. Etiamſi nihil habeã, quod pingam, vis tamen impingam. Literas tu ſemper ſpondes: nihilque reſpõdes. Libentiſſimè hanc ego litem literis terminarem, ſi modo terminus illis eſſet. Iam plu-

ra, & plurima ad te misi, quàm otia patiebantur. Multa dixi: nihil tamen dixi. Verba illa erant sine sensu, aut succo: & à quibus si dementiam demas, parum supererit, imò totum deerit. Nec est quod insurgas, mihi non deesse argumenta, passim arma dum circumferuntur: ubique vis dum vivit: multa dum mala sine mulcta patrantur: à paucis dum vitantur vitia. Miles mille rapinas trahit, à duce ad perniciem ductus. Bellum in imbelles, & imbecillos agitur. Hastis non hostes, sed hospites petuntur. Tota

militia malitiâ plena. Iniqui equites: pessimi pedites. Nihil quicquam minus est magistratu. Principum spreta sceptra: fana fanaticè profanata: senatus authoritas exautorata: leges ne quidem lectæ, omnia denique subversa. Plura quidem hujusmodi essent, quæ describi possēt: sed nec à me, nec hoc tempore. A me, qui plurimùm timeo, dum omnia tument. Vera autem proferre, nihil intempestivius hac tempestate. Hujus igitur generis epistolas si speras, spem eludis. Hæc enim spectacula sunt à nobis minimè

expetenda, aut ſpectanda. Hęc ſi ſcribere velim, hęreo, & pereo. In iſtis, niſi caput habeam ſine lingua, corpus erit ſine capite. Meæ quoq; epiſtolæ nec illa edunt, quæ animum lædunt, aut edunt: quin illa ſolùm, quæ animũ illectant, & oblectant. Quid igitur vis ſcribam, mi Graneri, dum ſcelera celeritate cõmendantur, gravitate exaltãtur? Omnia cùm talia ſint, non ampliùs ſcribo. Tu interim vale, ſi poſſit inter tot morbos, inter tot mala. Quo ad me, ſi potero, tacebo & valebo.

CL. ARNAVDO FRATRI
Senatori Aquensi.

A. ARNAVDVS.

RVbiginem jam altè cõtraxerant, mi frater, & penna, & manus. Iam chartę elingues languebant, longa temporis interjectione: Sed satius serò, quàm nunquam. Serò scribo, nec adhuc serio: nundum omni ex parte sereno cælo. In tanta autem malorum serie quid fecissem? quid scripsissem? De rebus domesticis? mœsticia pura. De publicis? nihil gravius. Deperditis enim rebus aura illa auribus pestilens. Nunc,

quia leviora hominum aliquantulum ingenia, animos recipiunt calami : reficitur ſtylus: chartis lux conceditur : itinera patiuntur pedes: fores foris venientibus patent: urbanitas urbes ingreſſa: & inter cives civilitas quędam renovata. Sicariorum jam ſiccior ſica. nec ampliùs à plebecula leges illegitimæ feruntur. Magiſtratus non penitus proſtratus : neque toga omnino ſordeſcit. O ſeculi hujus beatitas, & bonitudo! quæ noſtras temperat mentes amentes. Felix tempeſtas! quæ civiles pellit peſtes. Iam libertas, mo-

do captiva, poſtliminio reverſa videtur. Beatum, inquam, ſeculum. Si mihi hoc erogaverit, ut poſſim te ſaltem his codicillis ſalutare, ſi tibi proſpera precari, ſi denique felicitates omnes liceat enunciare. Sed multo beatius, ſi te ipſum cernerẽ: te vel amplecti poſſem: ſi tuo vultu, & tuarum virtutum cultu perfrui: tuáq; dulcia, docta, & gravia eloquia auribus haurire. Diem illam quàm libenter arriperem! quàm avidè ſurriperem! etiamſi hinc nomen meum apud Tresviros, aut Centumviros capitis foret. Sed quid

plura? Iam plus ęquo hac nõvalitate, hoc rudi, & aſpero ſtylo vulnus auribus illatum ignoſcentia cura: valetudinẽ etiam diligenter, & curiosè: tuumque erga me animum; dum certũ habes, quòd meo amori non convenit mori. Iterum vale.

BANDOLO.

Arnaudus.

VEnationem inſtituerã, non in Circo; & munus gladiatorium non in arena, nec in foro: ſed foris. Nobiſcum ibas, Bandole. Præibam ego, geſtans quæ ad Luporum necem, tu autem quę ad noſtrum

noſtrum omnium vitam. ferebaris æquiſſimo Equo. ferebas & lagenas: inque illis patrem Oſirim, ſicut Æneas Anchiſem: pietatis inſigne ſignum. Nec renuit Bacchus, venationis nomẽ numen exiſtimans. Mihi, inquit, & venari libet: modo talia ſint, quæ ſub vitibus vitam degunt, ſubque thyrſis pampineis.

Namque comes vitæ vitis vbique fuit.

Iam igitur ardua montium, & ceſpita vallium enunciabantur; & feris parcam quiſq; pro animo cudebat. Quidam pellem vendebat, jecur alter concoquebat, alius

inteſtina lacerabat. Sicq́ue de ferarum exitio ab ipſo itineris initio tractabatur: cũ ecce ſatis longè ab vrbe, ſimul atque bonus ille Deus ferociam noſtram in feras audivit: Ad Lupos, inquit, non ibo: ad lupanar potiùs: necampliùs hoc carcere detinebor: erumpam. Et ſubitò vim vinum fecit; violentia vinolentiam, & vinolentia violentiam. Ad vineas lubens, non ad ſylvas. Lepus, non Lupus mihi præda eſto. Ita lepidè noſter Liber ſeſe liberavit, & cum dicto fracta lagena; vinum effuſum. Vnde attoniti ſocii

hinc inde, vndecumque cõcurrunt. Heu! inquiunt, Bãdole subdole, quid fecisti? quid ftegisti? nostrũ simul sanguinem effudisti. Siccine sub sole, & sub Cane sitim nobis generas? O utinã tanta, & tali Tantali pœna puniaris. Tunc quã facetè, mi vinifer, respondisti: Cavete: Deus est: divinum in vino mysterium: qui nec capi, nec capere voluit. Deum vitium invitum detineri fas non est: nec Liberum patrẽ à filiis servum retineri. Non cum sic vivere, qui illum bibere volt. Qui illum amat, sylvas, & silices sileat. Nu-

me agnoſcite, dicebas, mihique ignoſcite. innocens nocui, qui & vobiſcum potare non potero. Vobis ero in ſiccitate ſocius: & ſitim veſtrã dulci epigrãmate ſiſtã: dolorẽ modulis delebo.

TRIMVNDO.

Guirandus.

NVPER, mi Trimunde, tuus eſſe deſieram. Repentinus enim dolor arcem corporis aggreditur, & ingreditur. Mox febris venies venas occupat. Quatuor dies obſtinatè duro: interea obduret morbus. Tunc Arnaudus, Quid noſter Gui-

randus facit facie ſubtriſti, & cogitabundus ſilet? quæ antea vultus erat ſerenitas jam tetrica apparet ſeveritas. Quid feciſſem? Omnia expono. is portus noſter: is ſacra anchora: is denique aſylum. Frontem tangit: venam conſulit. Hoc quidem aliquid eſt, ait: ſed eſto bono animo. Medicum accerſi jubet: non ut occideret (ut pene fecit) ſed ad auxilium accederet. Venit imperitus. vidit, tetigit homo heteroclitus. Et ſubitò, Purgandus eſt. Tũ Arnaudus, Sub Cane, & ante Canem difficiles medicationes. ideo vide, ne

dum meditamur auxilium,
eum mittamus in exilium.
Tutior esset venæ sectio. O
judicium sanæ mentis! sic
enim faciundum fuit. Exclamat
tartareus tortor, Absit
phlebotomia: dabo medicamina
levia, & tutissima.
Dedit, & plura: non levia,
sed læva. Quid inde? Febris
insistit: dolor capitis dum
urgetur, augetur. Torqueor,
excrucior, vociferor: & tui
recordationi, & amicorum
attonitus hæreo, & mœreo.
Tunc gustus fugit: debilis
fio: jaceo semimortus. Adest
semper Arnaudus de me
solicitus, ut solitus: familia

tota miſta & mœſta. Ipſe au-
tem fert opẽ, largitur opes:
omnia quæ ſuppetunt, ſup-
peditat. Ingrati quandiu a-
micorũ durat obſequium,
applaudunt; eodẽ ceſſante,
explodunt. Sed hominum
iſte humaniſſimus quid non
egit, ne qua re egerem? Ita
itaque fui æger, non egens.
Aderat ſemper, modo ſolus:
modo cũ amicis: & ad meã
oblectationẽ adferebantur
fabellæ, narrabãtur hiſtorię,
recitabantur carmina. De-
nique iubebat Teſtudinem
ſibi porrigi. Hîc Muſices
concordia cõcordibus cor-
dis, huc illuc molliter, &

mobiliter ſalientibus digitis, neſcio quid divinum reſonabat, quo dolor meus incantabatur. Quòd ſi vocem fidibus ſociabat, nihil niſi Parnaſſi chorus. Nihilominus tamen, mi Trimunde, eò loci redacta, & reducta res eſt, ut in meis magnis cruciatibus ad inferos deſcẽderim. Adivi audacter tetrũ illum, & tetricum portitorem. Sed bonus ille Charon me ſibi charum finxit: trajecit neque naulum petiit. Quia ita deformis, & horridus eram, ut eius moroſum humorẽ timore compeſcerem. Cerberus aliis triplici

ore baubans non motus, ſed mutus fuit. Ita ſecurus loca illa minimè illuſtria luſtraui undique. Tandem favore ſolius numinis adjutus, alter Æneas per portam eburneam Guirandus ſuperas remeavit ad auras. Ideo, qui tuus eſſe deſieram, jam tuus ſum, ut fui: & ero, ut eram. Tu verò meo exemplo ductus, & doctus vale, & ſcribe.

ARNAVDO

Guirandus.

TVas expectationis precio emptas accepi tan-

dē. In quibus ut valeres inveniens meipsum gaudio amisi; sed hac jactura ita sæpe me perdas velim, ut me mihi nunquam inveniam. De Gallia nos hîc nihil certi. Puto te accepisse Lugdunēsem tumultum penitus tumulatum. Ab ordinario nuncio certiùs quàm expediat audivimus, Othomanianā ferociam magno cum populo Vngariæ reliquias populari. illi siquidem peditum cētum quinquaginta, equitum triginta millia. Et quia de ipsius ad Italos adventu rumor.

His, & jure, timor, cumq; timore tremor

Verum, nisi inania desinant curare pastores, & Reges, Christianæ reip. valde timedum. Periculum enim, ne dum malis Christianorum parum in æde movetur, maleis Mahometianorum parum in sede morentur. Dii melius.

Nec faciant dictis pondus inesse meis.

Nostri ergo misereatur sanctiss. Pontifex, qui potest facere, & pontem faciat nobis ad Deum. Quod ut sit, nitatur bonus pastor conciliare,

Et Reges gregibus, Regibus atque greges.

Vt tandem harmonia Christiana concordes sub Petri

zelo, pro cælo, non solo prę-liantes Turcam ad legis Mahometianæ cõfusionem, & Christianæ confessionẽ impellamus. Vale.

GVIRANDO.

Arnaudus.

Proscriptum scribere cogis, mi Guirande, nec sine injuria. Hoc etenim cum vis vim facis. Tuas accepi de bello Othomanico. Maniã certè existimo: dum Cæsar urbem à Christianis captam causam fuisse motus scribũt. Si de Cæsarea intelligunt

quatuor esse didici. Paoniæ vna, quæ sub Antilibano monte sita. Stratonis alterã, quæ intra Carmelum montem, & Gallileam: ambas in Asia, inter Syriam, & Arabiam petręam. Si de his censent, unde Christiani ad expugnandam urbem, capta præcipue, & subacta Cypria insula? Est & Cæsarea Augusta in Celtiberia Hispaniæ provincia, prope Lybidam montem. Est adhuc Cæsareomagus in Gallia Belgica: hę pariter intra Christianos. Alia si sit urbs, & ubi sit doce: & quibus in terris bellũ gęratur contra Imperatorẽ.

Vereor ne Itali temerè tremant. Sed tales Italos quis credret, tantorum virorum & tot virtutum hæredes, & omnium Christianorum viribus hærentes? Audivi captam à Turcis Christianorum vrbem, magna cum clade nostrorum; sed ne nomen quidem vrbis accepi. Nunc apud nostros induciæ renovatæ ad mensem. Pax creditur inter Gallos: hoc si fit gallinas facilè sedabimus. Hîc habebis latinarum epistolarum finem. Interim vale.

ARNAVDO.
GVIRANDVS.

TEne proſcriptum aſſeris? te cuius nomen nō in fori, ſed in cordis proborum albo ſcriptum eſt. Cuius bona non ſub haſta, nec ſub hoſte, quantumvis invido, & infido, venalia proponuntur: ſed amicis, & bonis omnibus patēt. quem amiſſum nullus in vrbe non deſiderat: repertum, quouis præmio propoſito, nemo auderet offendere. quē iuſti amāt, impii verētur. cui Muſę ſatis amplū ſunt theatrū. qui ſibi ipſe ſolus ſatis eſt. Si tu

proſcriptꝰ, quis proſcriptor? Ille, opinor, cuius nomen in tyrannorum albo jam eminus apparet. cujus bona verè divenduntur, quorum vſus illi ab avaritia interdicitur. quem omnes abſentem vellent, præſentem avent confodere. qui Midas Iro pauperior aurum in auro (ut Tātalus aquas in aquis) quęritat: in metallum verè damnatus. qui ne ſibi quidem ipſe placet. quem ambitionis ambages involvunt. quē omnis libidinum turba ſine induciis turbat. quem mille conſcientiæ ſtimuli, tortores truces, tanquam cruces,

diu, noctuque exagitant. qui nihil minùs, quàm DEÚ, esse putat: aut, si esse credit, eum nec meritis capi, nec ira tangi arbitratur. Nova igitur proscriptionis ratio, in qua omne fas, omnesque leges proscriptum juvant, fovent, tuentur: proscriptoris nomen odiosum volunt, corpus ad necem quærunt, bona spoliatis restituenda imperant. Novissima, inquam, in qua proscriptor proscriptus jure judicari potest.

ARNAVDO

GVIRANDVS.

AVdio, te negotiorum fluctibus immersum; eorūque æstibus pene submersum. Timeo valetudini tuæ, nō animo. novi etenim quātus sit, & quàm gaudeat exercitatione virtutum. Bene, mehercule. Sicut enim potestate iustitia, societate modestia: ita negotiis prudentia, adversis patientia, arduis constantia, periculis magnanimitas, iniuriis pietas elucet. Siquidem

Bella patens virtus: virtus abscondita bulla,
Et frustra quæ sunt, esse negare potes.

Noctis; & diei vicissitudine Solis aurum magis rutilat. Noctis opacitate argenteus Lunæ cãdor nitidius splendet. Sine noctis tenebris ne comparet quidem stellarũ agmen. Sine umbrarum nigrore pictura sedula naturæ æmula decorũ nullum, imò ne esse quidem habet. Speciosæ virtutis lineaméta nõ satis vivè subessent, ni adhiberentur istæ umbrulæ, magistratus, negotia, pericula, iniuriæ, invidiæ, & id genus alia. Premeris invidia? Argumentum virtutis. ut enim umbra corporis, sic invidia virtutis comes. Volabũdus

Culex luminis radios, invidia virtutis jubar circuit. Et ut remanet candelæ lumen, ſic virtutis numen. Vtque Culex uritur, ita livor conſumitur. Sed quid ego tyrũculus ad veteranum? Hujus eſt dicere, & docere: illius tacere, & diſcere. Corpore igitur, ita ut animo, vale.

ARNAVDO

GVIRANDVS.

MItto Textoris Dialogos: in quibus multa laudãda. Acuta invẽtio, diſpoſitio ſerioſa, titillãs elocutio, cõcluſio nõ flaccida, documina egregia, vitę effigies.

Verùm (nec enim tecum connivere licet) ſunt nonnulla, meo judicio, à gravitate tãti viri paucillulum remota: Et potiſſimè copiæ oſtentatio quædam affectata: quæ facit, ut eadem res ab interlocutoribus otiosè inculcata delicatas aures offendat. Nec oculi integras ferè pagellulas verboſis periphraſibus plenas pati poſſunt. Opus tamen & emendum & amandum: ut cætera ipſiuſdem autoris. In nono dialogo miraberis, Textorem, cujus ſcripta tantam doctrinam teſtantur, tam malè de Epicuri voluptate

testari. nec animadvertisse Epicurum opinione Sardanapalum, re Stoicissimum: bacchanalia simulasse, vixisse Curios. Epigram. 152.

Nam licet illecebris hominē velit esse beatū,
Stoicus interea moribus ipse fuit.

Ita Frusius, sed tu fusius nuper dicebas, & docebas: cū, non sine miratione, opinionem quorumdam rapiebas ad paradoxum de Baccho, Epicuro, Phalaride, & Apuleio. O nostri seculi felicitudo! si omnes Epicuri essent, nulla hypocrisis: si Bacchi, nulla bacchanalia: si Fallarides, nulla injustitia: si Apulei, nulla ineloquentia. Sed

totum hoc à te, hoc tu defēde, ut cœpisti. Mihi namque & tedium, & odium pareret.

ARNAVDO
GVIRANDVS.

VEnit Petronius novæ editionis in manus. Tu petis, ut mittā: & quasi querendo, quæris quid de Arbitro arbitrer. Placet, & tædet dicere. Placet, quia multa placent, nā sive defæcati sermonis puritiam spectes, merus lepos: sive priscas negotiorum formulas, multæ;
quid

& elegantes. Tædet, quia pleraque, quorũ me tædet: seu quæ abominor prorsus. Vis enim illas venerãdæ antiquitatis gemmas legere? Has necesse est quæras in putore, seu stercore rabidi, & nefandi illius Cupidinis: cuius fœtidissimæ faces, imò fæces in ejusmodi quæstu tibi elucebunt. Proh Christiani pudoris cãdorem! Et hoc vidit lipsianus Dousa, hoc Richardus: illius præcidanea, huius notæ librum exornant. At improbanda non approbant. Esto. sed quid vetabat, turpia expungere? Hæc si demas, dicent, quid

quid reliqui fiet? Verùm, inquã, quid impediebat, pro Gitone Gitonam reponere? Hei mihi! quàm pessimo exemplo talia luce donantur: & quàm carissimo precio hæ vetustatis reliquię, & cineres nobis emũtur. Quotus enim quisque est, qui eiusmodi ne quidem antea cogitata, semel tamen lecta stupefactus non admiretur: & inter admirationẽ, & incredulitatem fluctuans ad aliquid turpe cæca quadam cogitatione ebrius non pelliciatur? Erubescant igitur qui talia legenda exhibent.

In exercentes insurgant leges, armentur iura gladio ultore. Vel potius, ô

Flamine qui terras terres, & fulmine torres,
Fulmine fac subitò talia monstra peti.

Modestiùs ibi Linocerius post phaleucos lõgè minùs turpes, addit: Cætera, nisi eloquenti Timantis silentio, dicere pudor non sustinuit. Quid tãdem? ais. Amica sermonis elegantia, amici sáles, amica veterum monumẽta: sed amicior naturæ honos, quem Christianus pudor æmulatur. Prisci nostræ fidei lumine quasi hoc sibi suo quasi jure arrogabant. Nos alio iure utimur: & cùm na-

turam, tum rationem optimas sequimur duces.

Hoc etiam te moveat, Arnaude, quod in eodem codice extat Lusus in puellę lacrymas: isq́ue adhuc incerto autore. Extant oculi, nō flāmeoli, & sereni: sed nubili, lippi, & parùm pristini honoris retinentes. Extant: sed ita pro derelicto, ut eos nullus commendatione vel tātilla dignetur. In re natura sua fœdissima non tam detergenda, quàm detegenda toti lincei : rem casu deturpatam, alioqui mundissimā. nescio quo fastidio delicatuli contemnūt. Qualesqua-

les attamen mitto, ut eos cõferas cum illis à te multis in locis reſtitutis. Num autem diſtinctione noſtra cũ principium, tum cætera aliquantillum elucidentur, tu videbis. Vale.

TRIMVNDO.

Guirandus.

ACcepi, mi non jam Trimunde, ſed tremende, tuas non epiſtolas, ſed querelas: imò fulgura, tonitrua, & pene fulmina. Siccine, ut me mutatũ pingas, ſeu fingas, immutaris

ipſemet? Novus ſtylus, noviſſimus Trimundus. Ideo ex quo ſtylo ſtillare debebant nectarei amicitiæ latices, ipſe iras promit, & diras vomit in amicum. Hui! quæ metamorphoſis. Verùm nõ diutina. ſtatim enim Vlpianum familiarem ſuum conſulens audivit, Nec abſentem inſcium, & indefensũ, nec præsẽtem ſola ſuſpicione damnandũ. Satiùs quippe impunitum relinqui nocentem, quàm innocentem damnari. Itaque conſcientia cõcitus ad veniam venit. Et rectè. quoad enim moderatorem pro gymnaſio-

lo Mediensi nihil non feci, nihilque adhuc confeci. Sunt, qui de eo in veniendo mihi spem faciunt. Ita Itaq; tibi persuadeas velim, me tanta vsum, & vti diligentia, vt pene præco factus sim, Præco igitur precor, vt me Trimundum, sicut ego te Guirandum esse credas.

A. ARNAVDI RARA.

Parvm abes à fine, lector. Non hîc tomos, ſed atomos habes. Bellam puellam pingimus: quamvis non meæ manus, ſed potiùs Polycleti, Apellis, & Pyrgotelis eſſet munus: à quibus Alexander ære duci, coloribus delineari, & cælamine excudi voluit. Dũque illos expecto, tu, ſi velis, hoc ſpecta. De mea ſermo eſt: mea ſi ſit: aut cujus ego utinam ſim. Hoc amori cõ-

cede, qui multilaudãdus eſt, ſi nihil amari habeat. vereor certè, ne pennam pœna ſequatur: merearq́ue proſcribi, qui ſic ſcribere, & rem tãtã deſcribere auſus ſum. Nec rectè picta eſt, dices. hoc & ſcio, & doleo. Nec placet ſtylus. concedo: utinam nec illa. Autori ſolo gratus erit liber. eſto: utinam & illa. Hũc ſolus ſcriptor pertractet, legat, habeat, videat, teneat, foveat, amet. eſto iterum: utinã & ego illam ſolus. Qui verba volunt alios volvant: trahit ſua quemque voluptas.

Ergo igitur puellulam bel-

lulam, quæ me ſic exanimẽ reddidit, ita examinabo: quã amenter amo excurſim pertingam, raptim depingã

Capilli.

CÆſaries, quæ in milite verenda, in ſenibus reverenda, in ſacerdotibus veneranda, in Rara admiranda: ut quæ adoleſcẽtum decorem, & puerorum dulcedinem auget, quàm gratiſſima ſe oculis offert! Capillus contra Solis aciem vegetus, fulgurãs, & placidè renitẽs: ſine quo illa ipſa orta cælo, nata ſalo, ſuſceptaq; ſolo nec Vulcano ſuo placere poſ-

ſet,licet omni Gratiarũ choro ſtipata, & Cupidinũ populo comitata. Capilli, inquam, ſcytica promiſſione, thracica ſimplicitate, æthiopica criſpitudine, qui colorẽ non à calore trahunt: quãvis igne cupidineo intorqueãtur, cõtrahantur, inflectãtur quiq; à vertice, imò vortice fluviatili in undas defluunt, omnesq́; ſimul urũt & mergũt. Moles illa mollis. Radii, qui à frõte orientẽ, ab occipitio occidẽtem notant: vel potiùs caſum & occaſũ noſtrum: nexũ, aut necem. Capilli, qui omnes capiũt: radii ſplendoris: Cupidinis cupe-

do, vel Cupido ipsa: sylva nõ cædua: in cujus arborum ramis nidificant Cupidines: & sub quorũ umbra Amores mille modis, mille nodis Amorem exercent. Quorum folia dulcia fomẽta, & folles ad flammas accẽdẽdas. Crines illi discriminati, propriũ & propitiũ vestitũ, & ornatũ cõtra temporis intemperiem. Quos, si nodosi, & cõtorti sint, fluctus, marisq; æstum, ex quo Venus illa ipsa: si expandantur, & zefireis flatibus luxurientur, veras, meras, & bellas illas alas diceres, quib. Cygnus ille Veneris verũ signũ circũfertur:

aut matrem ſimul Amoris, & filium. Sicq́ue in cælis ſtillam crinitam, imò radiantẽ ſolem: in mari Venerem. in terris pulcherrimam avẽ, & ubique Deam.

Frons.

FRons nec magna, quæ ſegnes, & tardas: nec parva, quæ mobiles, & incapaces: nec lata, quæ mente parum firmas: nec rotunda, quæ iracundas, aut melancholicas notat. Imò minùs plana, & quæ medium habitum, quia ſagaces, & perſpicaces: & quadrangula. quę Leonis magnanimi-

tatē moneat. Frons, inquā, amœniter frondens: cuius frontiſpicium majeſtatem divinæ authoritatis præfert. Nec rugoſa, aut rubiginoſa: at terſa, & pellucida, toti⁹ arcis ſplendor. Cæli pulcherrima plaga: cuius ſerenitas ſeveritate dulciſſima perfuſa cunctos trahi, contineri, & cohiberi volt.

Supercilia.

SVpercilia, quæ nec in rectum porrecta, animi ne mollitiē: nec iuxta nasū inflexa, ne in miſeros amantes auſterā, & acerbā: néve iuxta tempora cōvoluta, ne deriſoriam, & diſſimulatricem

notaret: nec, inquam, in totum demiſſa, ne invidioſam. Supercilia, & cilia, quaſi grūda, ſeu imbricamentum humoribus, aut cæteris rebus in oculos delabentibus. Cupidinei arc⁹ mira arte deducti. Duplices arcus: pluribus etenim, quàm Cupidini, opus erat. Oculorū ſepimina: viſus fomēta: frōtis termini. Vnde eminus, & cominus iaculatur Amor. quibus iunctis, verus orbis.

Oculi.

OCuli modici, non prominentes, nec conditi, mediocriter conniventes:

nec atro, nec cæſio colore: néve fulvo imò caprino, qui morũ optimorũ indiciũ, & ad perſpicacitatẽ aptiſſimi. Gemina illa ſydera ſi conſideres, duo erunt Soles, quibus nobis illucere ſolet, noſque illudere. Sydera arcuatis ſuperciliis tela luminis vibrantia. Ardua, & ardentia lumina, gemina genuina: quæ nobis & diem, & tenebras faciunt, aut patula elatione, aut teſtudinea conniventia, & contextu. Amoris hami, duces, indices, & judices. quorum hamatus aſpectus nemini deſpectui eſſe poteſt. Oculi illi

oculatiſſimi, ſeu argutim arguti, qui momento inſanos ſanant, ſanos inſanire cogũt, totius corporis excubitores quid non valent? quid non agunt? quid non angunt? Hæreo ædepol! an in terras delapſa ſydera, aut in cęlum, rapti ab illa, & cum illa ſimus.

Aures.

ECce aures, vel auriculæ, quarũ pars interior anfractui cocleæ ſimilis, vel in orbẽ facta, ſicut oculi. Nec nimium arrectæ: ſed quæ orbem capitis æquis portionibus ſecant. Aures, quæ mu-

ſicos hauriunt ſonos, & amantium cantus, ſeu amentium querulas rationes: vel avium garritus dulces; aut rivorum murmurantes ſuſſurros. Hi igitur ſenſus, qui præcipuè ſentiuntur, patroni cauſarum noſtrarum: per quos injicitur, vel infunditur quicquid eſt aut juris, aut injuriæ noſtræ: fideles miſeriarum noſtrarum delatores.

Naſus.

NAſus occurrit: qui inter os, & oculos medius, formæ non minor pars modeſtè ſuper vtrumque

inſurgit : affabrè compoſitus : vtrique ſerviens, & utrumque ornans : & ad cerebrum via. Naſus, Muſarum Parnaſſus, Gratiarum ſedes gratiſſima. Per quem non minùs fovetur animus, quàm per aures intellectus. Sternutamentum eadem agitur parte : ſignum augurale, & unum è ſpiritibus ſanctum, & ſacrum : quo ſuaves ſpiritus & inſpirantur, & expirantur : odoris miniſter. Cui, inquam, qui pulchriores ſunt flores nati, ſunt deſtinati.

Genæ.

GEnæ geminę, roſeę, & roreę: Amoris pudoris, necnon pudicitię teſtes conteſtes, imò cordis, & animi aſſertores fideles: indices veritatis, & ingenuitatis altrices: faciei dominæ, aut condominæ.

Os.

OS, ex quo, & in quo verba, riſus, cantus, ſuauia, lepores, & Amores: vel ſi velit, hei mihi! verbera, irriſus, incantus: non ba-

ſia, ſed battilla: nec ſua via, ſed ſæva: non lepores , ſed lupores illepidi: non AMOres, ſed mœrores. Quid denique ex illo ore non oritur? Roſida mella, pares Coralli rami, & hami: labellum corda noſtra labefactãs: labium ſine labe: labium ſuaviorum delubrum: os à quo oſcula, & oracula.

Mentum.

MOmento perſtringã mentum. Pulchra illa meta ſtadii, & Circi Faciei exitus, & ornatus. nec in aciem, nec in orbem deſinens, inter vtrumque medium.

Collum.

ILlud colendum collum mihi videre videor, oblõgè rotundum. capitis basis, simul & colliquium súsque, déque collustrans: cujus pars patet, cuius pars latet: & pectoris, & capitis medioxumum totam vitam parva via continens: quo invito in nobis non vita.

Brachia.

BRachia non brevia, nõ levia: alabastrinæ alæ, quas dum alacriter pandit Veneris alẽ cerneres: quorũ plexus, imò amplex⁹ religiosum nexum fateri cogimur

Manus.

MAnuũ nempe delicatulo officio, quibus pulchritudo ipſa fovetur. Illis crines diſcriminantur: illis ori quæ conferunt offeruntur: illis denique ars omnis exercetur. Ex corde, ex oculis, ex ore planctus, ex illis plauſus. Illis manſuetis manibus manubiæ quæruntur: quarum ſi quis mancipio mãcipatus fuerit, nunquã poſt hac manumiſſionẽ, quæret, nunquam inveniet. In quibus & ſignorũ & planetarũ notæ inuruntur à chiromãticis. Manus, inquã,

quæ manes ipſos monēt, & movent: quarum digitis cælorũ numerus notatur. Digiti digniſſimi, quibus ungues nõ molles molita natura eſt: ut extremum & tegant, & tueantur.

Pectus.

VEneris venerandũ pectus, rarò à nobis, ne tũ quidem in totum aſpectus: cogitationum, & agitationũ arca ſecretiſſima, imò parca miſerorum amãtium, ſi qua juſta excandeſcat ira.

Mammæ.

MAmmarum, & mãmillarum portiunculam

vides, quàm parcè, & parum video, & cunctis invideo. Vallis illa fortissima, è duobus montibus niveis composita. Vbera pulcra, & ubera: è quibus lac, vel Nectar aliquando effluet, aut Ambrosia. Fibulula fibulæ, quæ pectus illius coerces, veh tibi! quid nobis obstas? quid te interseris, aut quid te interponis rebus nostris? Nosti equidem. nō potuisse visum sufficere, pennam inermem, & inertem fore, linguam elinguem futuram: sicut non aprehendi, ita nec comprehendi posse. Probè fecisti, acicula mea, & providè:

dè: nec enim tutò conſpici tota à nobis poterat.

Pedes.

Hinc ad pedes deſilio. Pes lepide, qui permeare, aut permanere illam facis: pes ditiſſime; tot divitiarũ dominus, qui illa omnia pro arbitrio tecum trahis, nobis adfers, nobis auferss: te autore illis caremus, illa habemus. Tu baſis, cui marmoreæ columnæ candidæ ſuperſtant: totius ædificii fũdamentum, & ſuſtentaculũ; officiniolam excuſſoriã generis humani per columnas convicinans, & confinians:

contagione illa charior: vicinitate laudatior, & lautior. Pes pessime, cùm recedis, piissime cum accedis. Absente siquidem illa nobis nox perpetua, nocua omnia, omnia infesta. curæ nos oprimũt. insomnes sũmi: vigiliæ ærumnosæ: tristitiæ circumquaq; nos ambiunt: sine illa luce luctus perennis: omnia sinistra, adversa, horrida. Fac igitur, sẽper adsit: nec nos sine illa sinas. Oculis redde suum Solem, cordi spiritum, animo genium. Quid differs? quid cunctaris? Raram redde subitò

Rara mihi cùm sit vita in vita sine Rara:
Et sit amara nimis mors in Amore mora

Hoc, mi pes, ni repetè præstiteris, vt ea penes nos sit, penitùs pereo. Ego, si redeas & eam reddas vovebo, ne frigore rigeas, calore ardeas, sentes vnquam sentias.

AD LECTOREM.

Guirandus.

Hoc opus egregium si dicas, dicere tecum
Non renuo, si vis, hoc opus egregium.
Si quid id esse velis, tātū quid id esse fatebor,
Esse nihil dicam, si nihil esse velis.
Tale aliquid, vel tale nihil fac: esse fatebor
Tale aliquid multùm, taleq́ nil aliquid.

Addere quem modulos modulis, Arnaude, tuisque
Nec reor ipse modis addere posse modos.
Nãque tuo quando (vel Momo iudice) nil est,
Gnavius, aut gravius ingenio, & genio.
Sũt tua, sunt certè lepida grauitate sub ipsa,
Verba soluta meo carmine grata magis.
Ipse tamen nostrã, p ingui sed carmine pingã
Teq; jubente canam, teq; lubente cadam.

Capilli.

Libera libertas huc illuc nostra volabat
Servitia, heu! nimiũ nescia dura pati.
Sed postquam nostræ crines ingressa puellæ,
Visa est nescio quæ blandula turba sibi.
Hic Ioculũ quendã cernens, perquirit ab illo,
Qui vos? quid facitis? quis locus iste precor?
Idaliæ Lucus locus est, Iocus inquit: in illo
Numẽ adest Veneris, numẽ Amoris adest.
Blãditiæ hic volitant lepidæ, blãdiq; Lepores:
Ecce meos fratres, & tibi mille Iocos.
Dixerat. Illa loci jam pulcritudine capta
Dum circunspiciens cuncta videre cupit,
Tot Veneres vidit statim, tot vidit Amores:
Quot monstrat crines aurea cæsaries.

Tunc oblita sui volitans hinc inde vagatur:
Nec sua tum cernit gaudia ferre Notos.
Omnibus insultans hæc cuncta pererrat, & errat:
Nāque videre cupit hancq́; Cupido capit.
Bellula tota cohors nā tum manus injicit illi:
Libertas circum sic data vincta manet.
Blanda capit cupidè sic nostra puella capillis
Sic capit, heu! quæ se non sinit ipsa capi.
Illam quis caperet, quæ vincula servat Amorum?
Omnis vel potiùs cui famulatur Amor?
Sic capit ipsosmet capientes virgo capillis:
Sic cunctos, ulli non capienda, capit.

Oculi.

C*Asu libertas jā dictos fugit Amores,*
Impatiens certis certa manere locis.
Fugerat hæc: verū cupiēs vitare Charybdim
In Scyllam demens, ludiquebunda ruit.
Nāq; Culex volitans lucernæ ut circuit ignes
Alis crematis dum miser ille cadit,
Sydereas Dominæ flammas incauta pererrās
Alas amisit non minùs illa suas.
Vidit Amor, dicens: fugisti, astuta rebellis?
Nomē ubique meū, numē ubique meum.

Audito casu tanto, cor mitto repente,
Num libertatem posset habere meam.
Iussa facit-subitò, libertatemq́ requirit:
Hei mihi! sed quarẽs tabuit, haud habuit.
Aculeos oculis nam sensit inesse puellæ:
Nec gemini Solis lumina ferre potest.
Ipsemet accedo, libertatémque requiro:
Captiuam captans captus at ipse fui.
Nã cernens oculos, nõ lumina, fulmina sensi:
Vulnere sic tacito cogar ut ipse mori.
Sed potiùs divos oculus scintillat Amores,
Queis morior, quisquã nec mihi præstat opẽ.
Imò mori cogor: sed sic, ut vivere nolim:
Vitáque perdulcis mors sit ut illa mihi.

Frons.

ALis crematis, oculorũ fulgure, nostra,
Ignea lib.rtas obstupefacta manet.
Ad solis tanquam radios hanc cæca caligo
Circuit: illa pedes sed tamen ire parat.
In frontem cecidit nostra, fugiendo, puellæ:
Frons expolitum quæ superaret Ebur.
Bella, patẽs, ad bella potens, arx fortis Honoris
Frõs ubi vivit Honor, frõs ubi ludit Amor.
Aucepsfactus Amor subrisit: frõtis in alta,
Formosáque plaga tẽdit & ille plagas.

Hic facit annellos lepidos lepidasq́ catenas,
Aurea queis blandè retia mille parat.
Falleris, inquit Amor, quis fallere poßit A-
morem?
Sic hos in casses præda petita cadit.
Libera sic quondam libertas serva remansit:
Iam quia non alas, non habet illa pedes.
Quid mirum? validos his vinclis posse Leones,
Mille capi veteres censeo posse Ioves.
Quid faciam? in omni formosæ parte puellæ
Nobis artipotens insidiatur Amor.
Fronti nulla fides nectendis fraudibus aptæ:
Ipsa comis frendet, fraudat & ipsa comis.
Bella igitur posthac nō frōs, sed fraus erit ipsa
Ars & Amoris erit, arx ut Honoris erat.

Supercilia.

Vicerit Alcidem fortem quòd fœmina (mollis,
Fecit dulcis Amor, fecit amarus Amor.
Quodq́ tuis flagres gelidis, Neptune, sub ūdis
Ob pulchram Cænin, fecit amarus Amor.
Quòd flava, Pluto, Cereris pulcherrima ples
Præda tibi fuerit, fecit amarus Amor.
Quòd fuerit Taurus, fuerit quòd Iupiter aurū
Et fuerit Cygnus, fecit amarus Amor.
Sed quid opus verbis? terram, mare, tartara,
cælum,
Omnia sic vicit dulcis-amarus Amor.

Victor erat: verũ non egerat ille triumphum
Haudq́; triumphãdi credidit esse locum.
Cui Venus: En arcus, per quos, ô nate, triumphes,
Margaris ecce tibi bella supercilia.
Iris queis cedit, Luna queis cedit & arcus:
Cedit & his si quid pulchrius orbis habet
Pompa triumphalis subitò procedit Amoris
Adsunt cui Charites, Delitiæ, atq́; Ioci.
Et Veneris comites, Incantus, Basia, Risus,
Unáq; pars pæan, altera clamat io.
Ergo triumphales Romanæ cedite pompæ:
Cedite vos, arcus, arcubus his Dominæ.
In vobis solis victores, magnus in istis.
Victorum victor nãque triũphat Amor.

Nasus.

Nasus adest: Naso, aut Nasones mille diserti.
Carmine quẽ nequeãt pingere: nasus adest.
Ediderat nostram vix dũ natura puellam,
Aureaque verè secula nostra facit:
Flãmarũ cũ quicquid fertur habere Cupido.
Sydereis oculis ipsius imposuit.
Non oculis solùm, Soles sed deinde fuerunt,
Fulmina queis possent cedere magna Iovis
Cæli Sol oculos nostros obnubilat: ardens
Calfacit & radiis exteriora parum

Margaris at Soles (mirũ!) præcordia cremãt.
Nec lædunt radiis exteriora suis.
Sole puer gemino voluit sic perdere cunctos:
Sic voluit cunctos in sua jura trahi.
Sed natura potens astum præ vidit, & astũ:
Divisos oculos inde benigna dedit.
Ne flammis flãmæ jungãtur, provida mater
Monticulum faciens inter utrũque locat.
Mõs ille est nasus, duplicẽ orizonta micantẽ.
Qui facit in facie, quæ mihi sola placet.
Parva colũna duos, nasus, quæ sustinet arcus
Fornice sub quorum lũmina clara latent,
Lumina clara latent: si lumina clara paterẽt
Quis potis est Soles sustinuisse duos?
Omnia nam possent isti comburere Soles,
Nónque solum solũm, funditus imò salum.

Labella.

IN labiis labor titubans: labor est quia magnus:
Pãgere solus Amor, pingere & illa potest.
Risit Amor. Sapiẽs, inquit, qui sacra profana
Reddere vestra times, numina nostra colẽs.
Coralium geminũ (dixit) quis diceret: in quũ
Basia mille patent, basia mille latent?
Quòd si pandatur talem respirat odorem,
Qualem vel nullo tempore sensit Arabs.

Qui latices latitant! humor quis cõditur illic!
Cui Divum cedat Nectar, & Ambrosia.
Non humor, sed Amor: sub quo mihi mo-
ris Amori
Mergi, ne quando cogar Amore mori.
Is laculus siquidem nobis est balnea, quorũ
Atq; lavamur aquis, atq; levamur aquis.
Hũc laculum meritò gemmarũ circuit ordo,
Quarum vel nullas India dives habet.
Cedãt Pegasidum fontes, & flumina ficta:
Hac in re siquidem fabula nulla subest.
Ergo tange semel tam bella labella labellis:
Sic eris, absque mora, captus amore nimis.
Hos latices pota poteris quibus esse poëta:
Cui cedat subito prisca diserta cohors.
Virgo tibi Parnassus erit, novemque Sorores:
Illa tibi Phœbus, sons quoque pegaseus.
Si quando sterilis (fieri quod posse negabo)
Si quando sterilis conspiciare tibi,
Basiolũ capias: tum carmina mille sequẽtur:
Carmina namque tibi bella labella dabũt.

Genæ.

POsse meã tãtum jã posse videre puellã:
Sic oculos dabitur pascere posse tuos.
Si vivunt oculi, gaudentque coloribus, ejus
Cerne genas, quæ sunt Lilia, suntq; Rosæ.
Sed quia non cadent tota, rubẽtq; nec extãt,
Jam dico, non sunt Lilia, nonve Rosæ.

Purpureus candor, vel purpura cādida cōtrà
Efficiunt vt ſint Lilia, ſintque Roſæ.
Sicq; Roſæ cùm non, cum non ſint Lilia, certè
Sunt tamen illa ſimul Lilia, ſuntque Roſæ.
Cùm placidū campos ver mille colorib. ornat
Iſthæc ver ſuperant Lilia, ſive Roſæ.
Æſtivis flores marceſcunt ignibus: atqui
Tum magis iſta vigent Lilia, ſive Roſæ.
Autumno ſenſim ſpoliatur terra colore:
Sed magis ipſa nitent Lilia, ſive Roſæ.
Et cùm triſtis Hyems arvorū fœdat honores,
Pulcra magis ſunt hæc Lilia, ſuntq; Roſæ.
Inque genis illis eſt nullo tempore fucus:
Exoritur ſemper ſed tamen inde focus.
Illius ſi quando potiar, ſub pectore flammas
Cùm potior patior: ſed mihi dulce pati:
Ingenuáſque genas pergratas dico gehennas.
Cùm ſit amara minus mors in amore mihi.

Aures.

NOn habuit, cùm non ſit certus ſerta Cupido:
Et tamē eſt propriū ſemper vtrūq; ſibi.
Nā moratur Amor, nec in vna ſede moratur
Atque libenter Amor florea ſerta gerit.
Ergo non certus poſcebat certa. dolenti
Serta dabat Charites, mater Amoris erit.

Multa querens Charites quærit. cui turbulam terna
Dixit, Serta petis? serta parata tibi.
Non quærunt Charites flores, per prata, per hortos,
Nec flores illi posse placere putant.
Sed decorāt auro jam bellas Margaris aures
Auro quo rutilat flavula cæsaries.
Mille modis varios certātes stringere nodos.
Aurea fila legunt, aurea fila ligant.
Mille modis varius cōponitur annulus auro,
Qui tremuli, Zephyri flamine, mille volāt
Sic jā nō aures extant, sed serta: quibus nunc
Blandus cum Ioculis ipse jocatur Amor.
Sūt & adhuc aures: aures, queis haurit, & audit
Nequicquā nostas surdula nympha preces.
Sed non ad aures potius portantur ad auras,
Et nullo in precio conqueror esse preces.
Vera videt, sed vera negat, verissimaquā vis
Nostra mala: his amēs & tamē uror amās.
Quid faterem? mentem mirāda facinat artes,
Et moros mores reddit amantis Amor.

Mentum.

F*Ine docet mentē rari miracula vultus.*
Quod mentē nobis adjicit, atq; metum
Adjicit hoc mentē. quis laudes deneget illis?
Ecce ejus nulli forma secunda potest.

Quàm bene conveniens vultus pars cætera mento.
Partibus hoc cunctis tam bene cōveniēs.
Cætera cùm placeant, est illi posse placere:
Hoc quoque cùm placeat, cætera cuncta placent.
In reliquis pulchræ faciei partibus hujus
Naturæ bonitas ingeniosa fuit.
Principium, mediumq; parum sine fine probantur:
Principio, medio, fineq; grata placet.
Natura omnipotens in vultus dotibus extat:
Cur non omnipotens laudibus esse queo?
Hoc siquidē mentē, quā mētū addebat amāti
Abjicit heu! nobis adjicit atque metum.
Ecquis non metuat tā dignas prodere laudes?
Dicere multa parum: dicere pauca nihil.
Quale sit inspicio; nec possum dicere quale:
Et quod velle dedit, jam mihi posse negat.
Ergo quod mētum vultus pulcherrima meta est;
In mēto laudum jam mihi meta datur.
Nec laudaretur tam crasso carmine vultus,
Sed læderetur sordibus ingenij.

Collum.

QVanā dicetur, jam collū laude colōna
 Quæ cælū portat: digna colūna coli?
Magnanimi cedāt Alcidæ ex ære columnæ,
 Atque colūnarū quicquid hic orbis habet.
Huic quoque cælifera cōcedat cælifer Atlas:
 Vincere, vel cedat, si quid Atlāta potest.
Atlas aßiduo vento pulsatur, & imbri:
 Semper habet cinctum nubibus ille caput.
Nix humeros velat: distillant flumina mēto:
 Continua glacie barbara barba riget.
Est Atlas oneris totus sub pondere gilus:
 Nec, nisi quòd cælum sustinet, ille placet.
Hoc verò collum formosa columnula, cælum
 Quæ portat capitis, tota colenda placet.
Longula tota nitens, & tota rotūdula cādēs:
 Et, qualis terris non fuit ulla, teres.
Marmore candidior pario, mage cādida Cygno,
 Lactéque candidior, candidiórque nive.
In qua, vel parvā quantūvis, cernere mēdā
 Non est: longa satis, sat simul illa brevis.
Conjecit colli tam pulcri mira venustas
 Ergo cupidineum sub mea colla jugum.
Vnde triūphat Amor de me: sū præda puellæ
 Non sic captivus, liber ut esse velim.
Nec postliminio cupiō jam posse reverti:
 Hanc et amās sēper, dūmodò semper amer.

Pectus.

Sẽper amabis? ais. cur nõ ego sẽper amabo?
Cũ det sẽper Amor, cur ego sẽper amẽ.
Cæculus ille puer, quò me violentiùs urat,
Mille novas causas ingeniosus habet.
Nec satis est, placuisse comis, placuisseq; ocellis
Et placuisse labris, & placuisse genis,
Fronte, superciliis, naso, mento, auribus, atque
Est colo Dominam jam placuisse parum.
Jã majus molitur opus, monstratque Cupido
Virginei blandas pectoris insidias.
Queis vincit, stricte post victos vincit amãtes
Sic ego sum victus, sic quoque vinctus ego.
Parce, puer, puero: nostræ nec parce puellæ,
Aut si vis illi parcere, parce mihi.
Quare novos, & fige fugaces, stringe rebelles
Sũ tuus: ecce, sequor: sum tua præda nimis.
Quæ fugiũt sequitur venator, capta reservat
Non fugitiva capis, nanule, capta cupis.
Punge, precor, sanos: non sanos leniter unge:
Duros nonve fove: mollibus imò fave.
Pectore formoso Dominæ semiusta cruente
Ignibus incendis pectora nostra novis.
Quid facis? ah demens! paulò si fortiùs urar,
Tam non urar amans: ignis amoris ero.
Ignis Amoris ero: seu valdè potentior illo:
Tunc tu victus amãs, tũc ego victor Amor.
Tũc face, tũc pharetra, tũc arcũ stulte carebis
Tunc ut ames semper, nõ ut ameris, agam.

De Musis, Charitibus, Venere, & MARGARITA.

Eximium Clio celebris designat honorē:
Quis nostræ nymphæ cedere nolit honos?
Delectarc bene Euterpes sis muneris esse:
Quem non delectat nostra puella virum?
Melpomene faciens- meditatrix dicitur esse:
Margaris exercet corpus, & ingenium.
Accepit nomen florens de flore Thalia:
Flos superat cunctas Margaris ipsa Rosas.
Est memcrans multùm formosa Polymnia:
multum
Imò recordatur cuncta puella mea.
Addit ut in ventis Erato doctissima, nostra
Dotibus exornat quæ sit amica suis.
Terpsichoræq; placēt choreæ, dū circuit artes:
Virgo mea & pariter noscere cuncta cupit
Calliope bona-vox, Musarum mira venustas
Suada est eloquio nymphula nostra suo.
Vrania obtinuit cæli de nomine nomē:
Totaque cælestis Margaris ecce tibi.
Aglaïa est splendor metis de dotibus ortus:
Extat virtutis Margaris effigies.
Corporis ostendit viridisque Thaleia formā:
Quid nostra domina pulcrius esse potest?
Euphrosyne gaudēs vocis dulcedine mulcet:
Sirenum vincit nostra puella melos.

Eiuſdem

GVIRANDI LVSVS.

Ad Arnaudum

Super eius ſymbolo, ſeu emblemate: in quo Serpens inter Scirpos, Meſpilus, Palma, ſtellæ tres.

Prudens, magnanimus, patiens, reddens ſua cuique
Vt Serpens Iuncus, Meſpilus, iureperitus
Aufugies, vinces, referes, ſecurus adibis
Fraudes, fortunam, palmam ſtellantia tecta.

In puerperio defunctæ,

Tumulus.

PLus portare parans, puero prodesse putando,
Pulcra parẽs peperit: proh! pariens periit.
Vis vicit validè vim vi vitare volentem:
Vita victa vacat vivificare volens.
Facto fœmineos frænabit forté furores
Fraudantes filios, fraude fugando foras.

In Buchananum.

Si sit Roma Lupa, & latres baubãter in ipsã,
Est operæ pretium te fateare Canem.
Non canis ergo, Canis: latras: sed figere dẽtes
Romæ non dabitur, sis licet ipse Canis.

Ad eundem.

Tot mala cũ facias, doceas cũ tot mala plures,
Es, Buchanane, quidẽ nõ malus, imò malũ.
Tot furias ructans, debacchãs totque nefãda
Non rabidus rabidè, sed rabida es rabies.
Cumque vomas quicquid portendit spurcus Avernus
Est, Buchanane, ejus buccina bucca tua.

AD D. ANT. MELVAM Præpositum Eccl. S. Marii Forcalq.

Te modo non laudent, laudas mea carmina: movet
Me virtutis honor, te pietatis opus.
Non vis laudari? Noli laudabilis esse.
Est bona causa tibi, non mala causa mihi.
Quòd si te dicas dignum majore poëta,
Hoc fateor: sed me sit voluisse satis.

In Vulpinum Vlpianum simulantem

Dissimula, si mula quãtum vis tẽpore quedã:
Dissimulare nequis, nec simulare diu.
Hamis non armis ut est in pectore clausum
Hamis non armis ore solenne tibi.
Eheu! stulte, fidem si perdis, perdis amicos:
Ecquid, quod possis perdere, majus habes?
Non velat virtus, & mens sibi conscia recti
Vulpina tacitos simplicitate dolos.
Vis captos homines? res est laudãda: sed illos
Agnina potius simplicitate cape.

AD ARNAVDVM.

De eodem.

Quid tibi nunc animi restat, fidißime rerũ,
Dic, Arnaude precor, quid tibi nũc animi?
Ecce, vides nostrum mutantẽ Protea vultum
En tibi pacta fides: en tibi fracta fides.
Omnia jam fient fieri quæ posse negabas,
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.

AD TRIMVNDVM.

De cuiusdam, ob pios redditus, Metamorphosi.

Omnia cùm variè mutentur tempore nostro,
Non est iam qualis noster amicus erat.
Pro Phœbo, granib. Musis, pietate, Minerva,
Sunt Bacchus, lusus, scorta, popina, Venus.
Sic fuit ille suus. jã Sus, & quod magis eheu!
Sit cùm Sus, unquam non erit ille suus.
Sic mundum fugiens, Christũm sequeretur ut ipse,
Immundus mundo perditur atque Deo.

AD ARNAVDVM.

Quæris, cur cesse mihi quærere carmine famam.
Post mihi ne pariat fumida fama famẽ.
Sẽper inops in opus Musarũm frigidus exto:
Cũq; crumena sonat na tra camœna tonat

IN DISCIPVLVM, decipulum.

Nil à me nolis cùm te didicisse fateri,
A te me fateor non didicisse parum.
Hoc à te didici saltem, non fidere cuiquam:
Imò suspectam semper habere Fidem.
Nam cùm sis merdax, mendax, & perfidus, audax,
Es mihi decipulum, sum tibi discipulus.

In eundem.

Scis praeceptoris corpus violasse Neronem:
Tu verò famam laedis, inique, tui.
Induperatorem (hoc restat) te fingito Romae,
Saevus utrinque tibi cedet & ipse Nero.

Incertus.

Quos anguis dirus tristi mulcedine pavit,
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lavit.

ECHO.

Incertus.

Quæ celebrat thermas Echo, & stagna alta Neronis
Deludit voces concava sæpe meas.
Sæpe hic Narcissū expecto: simul illa moratur.
Si quæror hæc quæritur: si gemo & illa gemit.
Quisnam clamor? Amor. Quisnam furor? uror. An Echo?
Echo. Quæ major pœna in amore? moræ.
Exspectas Narcissum? is sum. Quæ causa morandi?
Orandi. Non hæc dicta notabit? abit.
Adfuerat? fuerat. Nū isticibit? Quem fugit iste?
Is te. Mene etiā? Quod malū amare? mare.
Nū veniet? veniet. Quæ spes? æs vicitur auro?
Auro. victor eris prodigiis æris? eris.
Sunt pueri fragiles? agiles. vi muneris? æris.
Quis docet hæc? Echo. ô quā bene clamas! amas.
Quid miserū torques? quid imagine fallis amantem?
Ne sit amans amēs, garrula Nympha tace.

TV-

TVMVLI.

T*umulus extans Polæ in Dalmatia.*

VIatores, cives opti-
mi, vel advenæ, ſi-
ve bini, ſive ſinguli
inceditis, ſive turmatim,
quod magis erit gratię, ob-
ſirmatæ greſſum: nec mire-
mini, ſi moramini aliquan-
tiſper.

Dicaculus equidem fui, ſuccinctus ſermo dari vobis non poteſt: & juvat vobiſcum eſſe, ut juvit ſemper, &

quivi ab ore meo pendulos detinere. Saxum hoc vos vocat. Quid inquam? ut vivus aſſuevi prudens imprudens, mortuus item vos fallo. Nam non vos vocat, quod vacat ore. verùm is, quojus cinis hîc latet: olim quomodo potuit, nunc huc vos vocari voluit, valuítque. Hæc olim ſua volũtas, volẽtis vos legere hoc ſcriptum: vah! quid loquor? immò ſculptum. Quàm ægrè veritas adhuc ſe mecum conciliat! Nam neque hîc atramentum, vel papyrus, aut membrana ulla, ſed malleolo, & celte litteratus ſilex, ſi-

lens adhuc quis hîc latet, quod ego efferre, & effari geſtio.

Sergius Polenſis paraſitus, hiſtrio veſter feſtiviſſimus hîc cubo. Hoc unum quidem tandem ſponte dictum, verum eſt. Si quis dubitat, hanc olfaciat humum: olet enim temetum, & florem vini veteris, quo ſatur ſatis vivens vixi. At ſi vixi vitam, tam vobis gratã, quàm notam urbi, & orbi, non minus munus à vobis impetrem oportet. Adeſte mihi. & favete, edictóque huic vos ſubſcribite, & obſignate.

Si quis ſibiveſicam onuſtam ſenſerit.domum ſuam onus hoc reportet in cloacam. Si verò feſtinus fuerit, citerior, vel ulterior hoc loco,pro religione,ſe evacuet. Qui non paruerit. hæc mulcta illi eſto,teſte altero careat Canesquoque cæſi fuſtibus & ſaxis, edictum hoc ſentiant. Adfuiſtis, faviſtis, obſignaſtis, video jam vos riſũ dare. Sitio: hui! ſentio: dictum volui eſſe. Quid hoc eſt, quod tam faciliter iſtuc procedit veritas? hac profectò cõtagione mei ſititipſa, & mihi ipſi ſupparaſiratur, cùm vltrò potum invocata

advenit. Nunc, ſi urbani perhiberi vultis, & veritati ſupparaſitanti, & arenti meò cineri cantharo piaculum vinarium feſtinate: pòſt valete. abite in rem veſtram, viatores optimi, his nugis, trufis, ambagibúſque mèis condonate poſthumis.

Tumulus Medici.

INCERTVS.

SAlvete, Parcæ, quæ parcè vitam Medico neviſtis, ne parcere videremini. Nimio plus jam vixerat. Sèxagenarium oportunè de

vita dejeciſtis: qui ſi vixiſſet diutiùs, ſanitas mortalis prope immortalis fuiſſet. Invidebat ſcilicet manes inferis, Charonti naulum, Plutoni umbras, libitinæ pompas, præficis planctus, polinctoribus unctiones, veſpilionibus funera, ſãdapilariis feretra, deſignatoribus ordines, tibicinibus nænias. Reddidiſtis ſingula ſingulis, omnibus omnia. Nunc abeuntibus medicis, febris exul reditura eſt: ſanitas ægrotabit: jacebunt remedia: morbi in regno erunt: vitæ invitæ morientur. Salvete iterum, Parcę, quæ ſalvum vultis ne-

minem. Vobis de hoſte ſpolia optima referre licet. nec jam feretrio. ſed feretro dedicare. Sentiant inpoſterum medici, qui morbos cum corporibus impunè occidũt, ſua corpora à morbis viciſſim occîdi.

Tumulus Zelotypi.

INCERTVS

ZElotypo mortuo, quia vita indignus, ſepulto, quia putridus, nõ ſuſpirato, quia inimicus, qui amica potitus bellula cùm beatulus eſſe poſſet, ſe miſellum

esse maluit : qui propriam núquam satis videbat, nunquam satis invidebat : qui suspicax, & meticulosus inaniter sibi ipsi diffidebat : & nunc etiã mortuus sese excruciat, quòd integra secum mori nequierit, amica fati indulgẽtia libera facta, quæ miserè serviebat hilariter posuit.

At tu, Zelotype : si quid manes tui sentiũt, rursus invideto. rursus morere. Tua quæ fuit, sua nunc est, imò omnium. nam te invito datatim se dabit, & communem faciet. Alium tenebit, alii adnictabit. alij arridebit.

ardebit passeratim basiabit colũbatim, hærebit hederatim: explebuntur desideria desideriis, voluptates voluptatibus cumulabuntur, deliciæ deliciis sucrescent. Sic injurias veteres novis ulcisci juvat. Nec tu tamen larvatus nocturna amantium gaudia tantillum conturbabis, Abeant Zelotypi, redeãt Amores: valeat Iuno, vivat Cypris. &c.

TVMVLVS.

Per Arnaudum.

QVisquis oculos in hoc saxum, & mentẽ quæ-

ſo : quin lumina in flumina vorte.

Ludovica Bermunda à Marcello amoris conjugalis ſpecimen, morum modeſtia immatura morte hîc conditur.

Mater dum natum in fletu intueri, & ab eo tueri nequit, lethum potiùs, quàm fletum filii paſſa, amore victa, & ardore victa repentè rapitur.

Cui parentans Andr. Arnaudus Propræfectus Provinciæ in ſede Forcal. amantiſſimus maritus mœrens meritò poſuit.

TVMVLVS.

Guirandus.

HIc mira mirare miracula. Non Memphis pyramides, Phariam Turrim, Babylonis muros, Dianæ tẽplum, Mausoli sepulchrum, Rodi colossum, Olympi simulacrum.

Sed pulcram Castitatem, modestas Divitias, fidelem Amorem, liberalem Parcitatem, laboriosum Otium, obedientem Vxorem, mutum Eloquiũ: vel ut paucis, LVDOVICAM BERMVNDAM AMARCELLO.

Quam nobis, heu! Parça malorum ne ſis vere parca, vitæ bonorum prodiga, ne cui parcere crederetur. eripuit.

Hæc non tam omnium, quàm ANDREÆ ARNAVDI hujus ævi ornamenti, defũctę mariti venerandę teſtantur lacrymę. Quibus ni moveris, non tam ferus, quàm ferreus, & mortua mortior judicabere.

Hæc

FLans, & flens fecit: posuit flans, flensque Guirandus,
Flamen iam totus, flumen & esse volens.
Eolus inspiret, Neptunus suggerat ergo,
Flamina pectoribus, flumina luminibus.
Sit licet hoc, dignè nec flare, aut flere licebit
Damnum, quod nobis invida Parca dedit.

Bivuli tumulus.

Guirandus.

DOctibibus jacet hic, is qui dum vita maneat,
Non meruit dici Bivulus, at bibulus.
Nāque videns tūdios tot per vineta racemos
Omnia potipotens vina vetusta bibit.
Grandine plus solito grādi vindemia (siccis
Exaustisque cadis) tota, & vbique cadit
Bivulus exclamans, Misera spes ergo bibēdi
Omnis adempta mihi? sit mea vita mori.
Et vere moriens hæc verba novissima dixit
Malo mori nunc, quàm vivere, nec bibere

Tumulus Vberti de Vins.

Francisc. du Fort IC.

NOn potuit ferro vinci, nō Vincius arte
Viciri: id Martis, Palladis istud ope.
Vincere sed ferro, vincire sed artibus hostes
Quòd suetus, nomen Vincius inde tulit.
Mulciberè, ne victa foret, neu vincta, poposcit
Mors: hinc sulphureo Vincius igne cadit.

Tumulus amasiæ deceptæ.

Joan. Steph. Thomaßinus IC.

Puella.

Hunc ne putes tumulum, thalamum sed crede, viator,
Et tumulum, & thalamum, si pote, iunge simul.
Quid thalami promißa fides, data dextera dextræ?
Aut non fidus Hymen, fida nec ulla fides.
Ha! dum pacta suæ differt connubia amātis
Cautꝰ amās, thalamus ! luditur hoc tumulo.
Infelix thalamus! tumulus felicior astat.
Læsus honor thalami redditur en tumulo.
Lusa fides, non læsus honor mihi sæpe iugatis
Pactus Hymen. facilis sic in amore dolus.
Sic thalami tumulata fides, tumulata decoris
Vnica lux: tumulo non tumulatus honor.

APOLOGIÆ.

Arnaudus.

HVCVSQVE risum forsan movi; nũc nauseam ciebò, imòbilem. Ridebo nihilominus solus democriticè. Iam antea verbis lusimus: nunc ad rem.

De Baccho, Epicuro, Phalari, Apuleio dicam. ídque contra quod omnibus ferè & avis, & ævi nostri, malis avibus, visum est: & in eorum mentes quasi reli-

giosè irrepſit. Agam de his, quæ à tanto tempore culta, & à bonis ignaviter, & à pluribus etiam doctis hæreticè exculta, ferè omnibus incuria occulta fuere. Neque id rhetoricè, nec pluribus: ſed meo more.

At quis novus hic miles, qui ſe ipſum nō poteſt, alios tutandos ſuſcipit? Indoctus in doctos, ignotus in notos agit, ſolus in omnes. Humilis ſupremos excitat; debilis fortiſſimos. Qui tot, tantoſque viros mordere ſtudet, tanquam demens de populo dematur.

Sed, ô vos, boni, adſtote

parumper. vestrũ nõ renuo judiciũ. Aures nobis vestras commodate, quæso, meam ut vobis ego famam committo. Cernite, & secernite. Cohibete convitia, nec usucapioni locum sinite. Præscriptionẽ proscribite. Novas induite, & inducite mẽtes non mentientes, sed justè metientes. Impavida frõte in sontes pronunciate: insontes dimittite.

De Baccho.

A Baccho incipiam, qui & Ianus, & Noa: pater omnium gẽtium: cui rerum principia veteres tribuêre:

Vertumno media, & fines. Primi nãque homines olim in Ægypto geniti hunc mũdi orbem conſpicientes, admirantéſque univerſam naturam, duos eſſe Deos, eóſque æternos arbitrati ſunt: Solem videlicet, & Lunam: & illum Oſiridem, hanc Iſidem certa nominis ratione appellarunt. Hunc Iovis, & Semeles filium & hiſtorici, & poëtæ aſſerunt: puerumque exemptum femori Iovis inſertum fuiſſe. Quem ille poſtea maturo partus tẽpore, more gravidæ mulieris, enix9 eſt: eũq; matertera Iunoclã nutrivit. poſtmodũ

q́; Nymphis tradidit, quæ etiam illi alimenta præbuerũt.

Is universum peragravit orbem. Et quia ab omnibus ferè visus, mille nominibus variegatus fuit: quorũ majorẽ partem à collatis humano generi beneficiis est cõsecutus. Dictus enim fuit Chaos, semẽ mundi, hominũ sator, Ogyges, Dysir, Olibama, Asa, anima mũdi, Deus pacis, Iustitię, & sanctitatis. Onotrius, Gallus, Osiris, Dionysius, Sirius, Phœnicus, Sagus, sive sãct⁹, Hyle, sive Hyletõ, Bromius, Læneus, Lię⁹, Dimitir, Apis, Sol, Diespiter, Apollo, Titan, Pæan,

Phanes, Horus, Nyctelius, Dithyrambus, Liber, Sabazius: aliísque compluribus.

Bacchus (ut Eustathio placet) ἀπὸ τοῦ βακχεῖν à vociferando, & ululando: quòd vastior ille Mœnadum sonus in ipso Dei nomine redderetur.

Ianus à jaïn: quod apud Arameos, & Hebræos est vinum, quasi vitifer, & vinifer.

Chaos, ad similitudinem primi Chaos: quòd prius rerum, hoc personarũm ab aquarum clade, semẽ fuerit. Inde semen mũdi dictus & sator hominum.

Ouid.

Me Chaos antiqui(nã sũ res prisca) vocabãt:
Aspice quàm longi temporis acta canam!

Inde etiã Hyle, seu Hyleton, quod idem est quod Chaos, seu mundus. Trism.

Noa, rerum præceptor: ratione invẽtorum, de quibus infra.

Ogyges: quia antiqui dixerunt Noam Dysir Ogygiam Sagam: id est, illustrẽ sacrorum pontificem.

Onotrius: quòd vinum, & far invenerit. Fab. Pict.

Gallus: ab usu navigandi: seu à rate, quæ ab vndis salvet. Hinc Sagæ ratem gallerim vocant. Et ita ferè nostri

Galli. vel quod apud Arameos, & Hebræos gallym undam, & inundationem significet: ut Talmudista Samuel asserit. Ann.

Osiris: ut qui suis veluti pluribus oculis terrã, ac mare lustraret: id est, multos oculos habens. Quòd autem idem sit Bacchus, & Osiris, Plut. Et quòd idẽ Bacchus, & Osiris: Ceres, & Isis, & quod fuerĩt cõjuges. Diod. & Trism. Inde etiam cęlum, quod circũierit terrã. hac itẽ ratione Olibama, & Serapis, id est, cælum: Sol itidẽ, quod universum peragravit orbẽ: & quod solus. Hinc ab Assy-

riis Adad, quod ſolum ſignificat: & ab Hebræis ſchemeſch, quod propriũ ſonat. Inde etiã Phœbus & Titan.

Apollo itẽ, quaſi mala pellens. Ideo Athenienſes hũc alexicacon, & Homerus uliõ vocarũt: id eſt, malorum expulſorem, vel, ut aliis placet, ab ὄλλω, pereo, perdo, & ἀπολώλεκα, peri perdidi, quod Pythonem interemit. Et ut in nocte Dionyſius, ſic in die Apollo: qui idem cum Baccho. Plut. Dieſpiter inſuper, quaſi diei pater, Macro. Arſa porro, quod idẽ quod Sol. Horus denique, quod Sol horis diſtingatũr.

Nyctelius, quòd nocturno tempore ejus quędam sacra celebrabantur: quæ Nyctelia dicta sunt.

Dionysius: à patre Iove, & Nisa civitate, in qua nutritus. Vnde dionysia festa in honorem ejus celebrata. Syrius, Phœnicus, à regione. Bromius: à tonitru, cũ quo natus. Lenæus: à torculari, quo vinum exprimitur. Dimitir: quod duas matres habuerit. Apis: à Bove, & agricultura inventa. Dithyrambus: quòd iterum satus. Liber: à liberãdo. Sive quòd Bœotiæ urbes liberas fecerit. Inde Deus libertatis. vel quod

quòd vinum curas solvat. Seu quod vino usi liberè loquantur. Inde in vino veritas. Eadem ratione

Lyæus, ex Pind. & Plut. Et Lysion: quasi liberator: quod curas solvat. Eubujus: id est, bene consulens. Plut.

Ad rem quod attinet: Vnus inter Gigantes erat, qui deorum venerator, & prudentior cūctis, reliquus ex probis erat in Syria. Huic nomen Noa, cum tribus filiis, Sem, Iaphet, Cham, & uxoribus Tytea magna, Pādora: seu Vlodora Noela, Noegla. Is timens, quam ex astris prospiciebat, cladem,

anno 78. ante inundationẽ, navim instar arcæ coopertã fabricare cœpit. Anno igitur 78. ab inchoata navi, ex improviso exundavit oceanus, & omnia maria mediterranea: fluminaque ac fõtes ab imo ebulientes inundaverunt super omnes montes: accedẽtibus item impetuosissimè, & supra naturam, è cælo copiosissimis imbrib⁹, multis diebus corruentibus. Ita omne humanum genus aquis suffocatum, excepto Noa cum sua familia, quæ navi recepta est. Beros. Hinc

Noam Scythæ omnium Deorum majorum, & mi-

norum patrem appellarunt, & humanæ gentis auctoré: & Chaos, & semen mundi: ut supra. Tyteam verò ejus uxorem Aretiam, id est, terram nominarunt: in quam semen Chaos posuit: & ex qua, tanquam ex terra, cũcti prodierunt homines. Beros.

Inde forsan factũ, ut Pausanias in Laconicis subobscurè tradit, Bacchum in arcam conjectum fuisse.

Hic concitatione quadam animi, ac soluto, liberóque motu Bœotiis vaticinabatur Sicut Epimenides Cois: & Sibylla Erythrea Trojanis. Medicinam etiam invenit.

Cùm enim exercitus ejus peſte interiret, prudẽtiſſimè in mõtes ex locis planis milites traduxit. Vbi cùm venti frigidi afflarent, & aquæ potu uterẽtur, quæ pura è fontib. manabat, à morbo fuerunt liberati. Locum mõtanũ, in quo exercitus evaſit à peſte femur appellauit. Vnde Græci in Iovis femore Bacchum nutritum ferũt. Diod. Habitus etiã fuit Medicus; quia non ſolùm vinũ invenit, quod eſt potens, & placida medicina: ſed etiam quia captos furore bacchãti docuerit, ut ſe coronarent Hædera, quæ vino contrariã

proprietatem habet. Plutar.

Primus omnium ſylueſcentem vitem ſativam fecit: viniq́ue uſum hominibus mõſtravit, ad religionẽ magis quàm ad uſum. Diod. Fab. Pict. Comeſt. & Virg.
Quid tibi præcipiã de Bacchi munere quæris?
Zythum quoque conficere ex hordeo, paululum à vini ſapore diferens, docuit eos, quorũ regio vites ferre non poteſt. Sacrata fuit illi Pinus, ut quæ vino dulcedinẽ affert: quia vinea fertur producere vinum dulce, ubi naturaliter Pinus creſcit. Plutarchus.

Agriculturam quoq; inve-

nit, teſte Diod. qui ait, Bacchum fuiſſe Oſirim, & Cererem Iſidem apud Ægyptios, eosque coniuges. Et Tibul.

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſolicitavit humum.
Primus inexperta commiſit ſemina terra,
Pomaq́; non notis legit ab arboribus.

Plantationem item. Plutar. ex ſe, & Pind.

Inſtrumenta ad uſum navigandi mõſtravit. Quo factum eſt, ut poſteri, duce Iaphet, mari ſe audacter commiſerint. Ann.

Bellicæ artis primus periti ſſimus fuit, & ſtrenus Dux; quod pulcrè de bello Indico refert Lucianus. Is poſt

deviĉtos Scythas, aliosque populos magno Iovi primitias rerum obtulit. Ovid. Et Thracem proditorem pugna ſuperatum privavit oculis,cum Lycurgo. Diod. Caſtrametationem etiam comperiſſe dicitur. Poliæn. Primus omnium triumphavit, veĉtus indico elephāto. Diod. Cymbalis, & tympanis, pro tuba ſignum dabat: Et hoſtes vino inebrians ad ſaltationem impulit. Et quęcumque alia ſunt Orgia Bacchi, omnia fuerunt eius ſtratagemata: quibus Indos aliaſque terras in ſuam poteſtatem redegit. Polyæn.

Et tantus fuit, ut Alexander Magnus, Cyrus, Agesilaüs, Themistocles, Pericles, &c. Bacchi æmuli in omni virtutum genere fuerint: maximéque in bello. Regius ex Plin.

Fabrilis artis inventio illius etiam est. Deus enim illum docuit fabricare arcã, ad humani corporis mẽsuram: ut qui ipse totam mũdi machinã ad humani corporis symmetriam fabricavit. Vnde magnus ille, hic verò minor mundus nuncupatur. Hinc microcosmologi humanũ corpus per sex pedes, pedẽ per decẽ gradus: & gradum

quęque per minutas quinque metiuntur. Hinc numerantur ſexaginta gradus, qui faciũt minutas CCC. quibus æquiparantur totidem cubiti geometrici, quibus deſcripta eſt arca à Moſe. Sicut enim corpus humanum eſt in longitudine trecentarum minutarum, in latitudine quinquaginta, in profunditate triginta: ſic & arcæ longitudo, latitudo, & profunditas totidem cubitorũ. C. A. Idem columnas extruxit duas in oriente, ſicut Alexãder poſt eum aras. Strab.

Artes mechanicas non ſolum docuit: ſed & Mathe-

maticas, duabus ingentibus columnis inſculptis. Quarum vna lateritia erat, ne cõflagratione periret: marmorea altera, ne diluvio abſumeretur. Ioſeph.

Tanti muſicam fecit, ut omnes qui in exercitu muſicis exercerẽtur, feceris immunes. quod Parnaſſum redolet: ubi Bacchæ tertio quoque anno, vel alternis annis, ad ſacra Baccho faciẽda, conveniebant. Diod.

Quòd autẽ tot modis homines bearit, cõſtat, tot nomina ſortitum: & gentium cõſenſu eidem aras, templa, ſtatuas dicata. Diod. Non e-

nim ſimiliter eoſdem Deos colunt Ægyptii, præter Iſidem, & Oſirim, quem Bacchum eſſe aiunt. Herodot. Hos peræquè univerſi colunt: vt habetur in oraculo.

Sol, & Oſiris idem, Dionyſius, Horus, Apollo Rex & idem, retinet &c. C. A.

Eidem ſacrificulæ, quæ Bacchæ, & Mœnades, & Baſſarides, & Thyades noctu Baccho ſacrificantes alternis annis in Parnaſſo monte Bœotiæ: necnō tertio quoque anno ad Citeronem montē catervatim cū thyrſis cōveniebant: vbi Bacchi Orgia celebrabātur. Ovid. Illi quoque fuerūt virgines

virgines sacræ apud Eliēses, illi quas Sedecī vocāt. Plut.

Et in sphæris cælestibus vim duplicem obseruarunt qui Theologiam orphicam professi sunt: unam in cognoscendo, alteram in viuificando, & regendo. Priorem illam virtutem vocant Bacchum, alteram Musam. Nec inebriatur per aliquem Bacchum, qui suæ Musæ priùs copulatus non fuerit. Itaq; novē Bacchi circa novē Musas designātur. Vnde in nona sphæra ponit Orpheus Bacchum Cribroniū, & Musam Calliopē: in cælo stellato, Picioniū, & Vraniā:

in cęlo Saturni, Amphietũ, & Polyhymniã: in cęlo Iovis, Sabasium, & Terpsicorem: in cęlo Martis, Bassariũ, atque Clio: in cælo Solis, Trieteriũ, & Melpomenẽ: in cælo Veneris, Lysium, & Erato: in cælo Mercurij, Silenum, & Euterpen: in cælo Lunę, Bacchum Lyęum, & Thaliam Musam. Gil. Gerald. Socius etiam Musarum, & Nympharum dicitur à Plut. Quid quod etiã Silenum Bacchi nutricium, & pędagogum inter sydera, in gratiam alumni translatum Aratus dicit?

Sic vetustissima illa ætas

omnes Principes ſuos juſtos, & benemeritos Deos appellabat, & tanquam numina colebat. Quibus etiã ipſe Deus noſter nomen ſuum communicare paſſus eſt. Et idcirco quaſi Deos voluit ſuſpici, coli, & venerari: & propria appellatione Deos vocavit. Ad Moſem, inquit, Ego te dedi Deum Pharaoni. Et alibi: Diis non detrahes. Iterum: Si furtum latuerit, applicabitur dominus domus ad Deos. Et pſalmiſta: Principes populorum congregati cum Deo Abraham: quoniam Dii fortes terræ vehe-

menter eleuati ſunt. Et alibi: Deus ſtetit in conſilio Deorum: in medio autem Deos dijudicat. Et paulo poſt: Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes. Decimas etiam, & primitias decernẽs & gladii poteſtatẽ tribuens, eiſdem maledici vetuit, obedientiam præſtandam, etiam diſcolis, præcipiens. Vnde & cælos, & ſtellas, & menſes, & dies illorum nominibus vocarunt: vt Ianuarius à Iano noſtro, &c. C. A.

Refuſo igitur ſub Noa in omnem terram mari, immiſſóque diluvio totò orbe contecto, cum unum ſpa-

tium cæli, & pelagi esset deleto universo humano genere, paucis in arca fidei suæ ad sustituendam prolem merito reservatis, non mirum, si huic saluatori generis humani pæana, fana, & sacra vota, & delubra consecrarint vetusti illi parum versuti patres, summi, veri, & omnipotentis Dei parũ gnari, benefactoribus plurimum benedicẽtes, ac grati.

Miror igitur, unde tam iniqua nostra novitas veræ vetustatis ignara tot conuitiis, & contumeliis Ianum petierit. Et nisi à vini reper-

tura, aut quòd inebriatus fuerit, hoc sit, aliud non video. Quod etiam magis injuriosè fit, quia cũ non fuerint ausi id expressè, & nominatum in Noam probũ, justum, & sobrium, à Deo amatum: eundem tamen sub alio nomine non minùs verendo, Bacchi scilicet, aut Osiridis, aut Iani, mille modis lacessant. Cùm certissimum sit, non ad libidinem, & potulentiam à NOE factũ, sed ad religionem. Cui rei non minimo argumẽto est, quod vsque ad MEZENTIUM Lerthem Thuscia vix, nisi in sacrificiis, usa sit vino.

Bacchus eſt, qui libationẽ invenit, hoc eſt, oblationẽ vini, quæ Diis fit. Plut. Hinc libatio dicitur à Libero patre, qui primus Iovi libavit. Ovid.

Nomine ab autoris ducunt libamina nomẽ.

Illud addendum de Bacchanalibus: ea nempe ſimplicisſimè fieri ſolita. De quibus ſic Plut. patriũ Bacchanalium feſtum olim populariter, atque hilariter agebatur: pompa erat, amphora vini, clematiſque: deinde hircũ trahebat quiſpiam, hunc alius ſequebatur nucũ cophinum geſtans: poſtre-

mo loco phallus erat. At iſta nunc deſpiciuntur, obſcuranturque: nimirum, dum obiter circunferuntur aurea vaſa, magnificæ veſtes: dum aguntur currus, ac perſonæ: ita quæ erant neceſſaria atque utilia in divitiis, ea ſunt obruta ſuperfluis & raris, &c.

Vini itaque vim inexpertus, vel vapore ebrius minùs quidẽ pudicè cecidit. Hæc autem prima vinolentia, aut vini violentia tot, & tantas excitavit tragœdias, ut inventor meri immerito peſſundetur: ejúſque fanum ideo ſic contumeliosè pro-

ſanatum videamus. Inde ſacræ aræ ab iniquis, aut ignaris poſteris exaratæ, ſtatuæ evulſę: & in locum clavium, mitræ, tyaræ, tintinabulorum, ſacerdotalis veſtis (quę omnia Dei antiquitus inſignia erant (nunc obeſiſſimus, propinans, extructis menſis, ſedens, aut diſcumbens, læva pernam, dextra vino pateram refertam tenens pingitur. Et vinum, à quo divinitatem aſſecutus eſt, in eum convertentes debacchantur ipſi ingrati, dignitatis, & Deitatis nomina fœdantes: ſub vini nomine divinum numen profanant.

Tales, inquam, grates ab ingratis redduntur generis humani reſtauratori, omnium gentium patri primo, non ſolùm agri, ſed ſacri cultori, & ſolo ſui ſeculi probo, tot rerum, & ferè omnium repertori, ſcientiarum, artiúmque doctori: ut ob unicum temulentiæ ſignum (quod ne à Deo quidem ſummò exprobratum eſt) tot injurias evomẽtes, tot tumultus excitaverint. Cæteros antiquitas commendat, hunc deſtruit. Gentes omnes paternam majeſtatem, & authoritatẽ reverentur (quod ne belluæ

renuunt) nos negamus. Veri parricidæ crudeliter eum offendimus, & eius nomen, ac famã occidimus: multo pejores Chã magico, & venefico, qui patris vidẽs pudẽda imprudẽter elusit. Nõ ita inofficiosè, & ĩpiè Semiramis de parentibus & avis.

Mihi pater Iupiter Belus: avus Saturnus Babilonicus: proavus Cur Saturnus Ætiops: abavus Saturnus Aegyptius: attavus Cœlus Phœnix, Ogyges, &c. Et mox.

Columnã, templum, statuas Iovi Belo socero, & eius matri Rea, in hoc Olympo, Semiramis dicavi. Beros.

De Epicuro.

EPicurum injuſtiùs laceſſitum ab obtrectatoribus, & laniatum certo certiùs ſum oſtēſurus: ſi vel minimam aurium veſtrarum partem tribueritis: ſi æqua lance animum ſuſpenſum ſervaveritis:

Tantum fuit hominum odiũ in Epicurum, vt hunc, etiam Diis, invisum facere voluerint. Idque non tam, quòd obſcurus, heluo, & laſcivus fuerit: quòd multa tũ in oratione, tum in vita peccaverit, quàm quòd Deorum etiam contemptor fue-

bus: deinde Mitylenis unũ annum ſcholæ præfuit: poſt Lampſaci: ac demum Athenis in ſuis hortis. Suid.

Eum primùm Grammaticam docuiſſe, ac demum, lectis Democriti libris, Philoſophiæ dediſſe operã Hermippus autor eſt: atque ob id Timonem de illo dixiſſe.

Vltimus ex physicis, Samiaq́ hic vltimus ora
Præceptor juvenũ, & morũ formator amœn⁹

Decimo quarto ætatis anno Philoſophiæ dare operam cœpit grammaticos inſectatus, & ſophiſtas, quod percunctãti, quidnã eſſet Chaos apud Heſiodum, exponere non potuiſſent. Apolodor.

Audivit Nausiphanem, Democritum Platonis discipulum. Suid. Et cùm Athenis aliquandiu absens fuisset tandem illuc concessit. Ibíque congregatis discipulis, aliquoúsque cum cæteris philosophatus est.

Tandem secta à se vocata, paulo post constituta, eousque progressus est, ut inter magnos philosophos fuerit habitus. Hoc fateri cogitur acerrimus adversarius Plutarchus.

Ex Seneca apertiùs: Hoc, inquit, Platoni objectū est, objectum Epicuro, obiectum Zenoni: omnes enim

isti dicebant, non quemadmodum ipsi vixerunt, sed quemadmodum ipsis vivẽdum esset. De virtute, non de me loquor: & cùm vitiis convitium facio, in primis meis facio: cùm potero, vivam quomodo oportet.

Sectatores ideo, & amicos habuit multos, ut eos ne integrę quidem urbes capere possent. Qui manserunt omnes in fide, præter unum Metrodorum, qui ab ipso se ad Carneadem contulit. Cui fortè gravis erat viri incomparabilis immensa bonitas, illiusque scholę perpetua successio: quæ, cæteris

ferme deficiẽtibus, ſola perſtitit: perpetuis vicibus diſcipulis ſibi invicẽ ſuccedentibus. Laert. De amicitia illud prçclarũ dixit: Qui ſe ſpectat & propter hoc ad amicitiã venit, malè cogitat. Seneca.

Tanti denique amicorum conſuetudinem fecit, ut dixerit: Ante circunſpiciendũ eſt, cũ quibus edas, & bibas, quàm quid edas, & bibas. Nã ſine amico viſceratio, Leonis, ac Lupi vita eſt. Seneca. Et ut oſtẽdatur, nõ tã verbo illum, quàm exemplo docuiſſe, ita Sen. Metrodorũ, Hermacum, & Poliænum non tã docuit ſchola, quàm

contubernium Epicurii.

Sũma pręterea in parentes pietas, in fratres beneficẽtia, mansuetudo in servos, & in omnes humanitas. Amicitiã in patriam usque in finẽ cõstãtissimè tenuit: quippe qui per summã modestiam ad remp. accedere noluit. Laer. Inde forsan Seneca, Cum Epicuro quiescere. Eius de virtute opinionẽ à Sen. accipite. virtuti (inquit ex Epic.) inserviẽdũ, ut vera libertate frui liceat. Idẽ, licet cõtrarię sectę philosophus, Initium est virtutis (inquit) notitia peccati. Egregiè hoc mihi dixisse videtur Epicurus.

De ſapientia ſic loquitur: Perfectè ſapientem ſeipſo contentum eſſe: & ideo nec amicis indigere. Tamen habere amicum vult (ait Sen.) vt exerceat amicitiam, ne tã magna virtus jaceat (quod Epicurus dicebat) non ob hoc ut habeat, qui ſibi ægro aſſideat, ſuccurrat in vinculis coniecto, vel inopi: ſed ut habeat aliquem, cui ipſe ægro aſſideat, quem ipſe circumvētum hoſtili cuſtodia liberet. Qui ſe ſpectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodũ cœpit, ſic deſinet.

Is ipſe Epicurus de prudẽ-

tia: Non convivia, inquit, & comessationes, nõ mulierũ congressus, non cætera, quæ affert preciosior mensa, suavem gignunt vitam: verùm ratio sobria, causasque præscrutans, cur quæque vel eligenda sunt: opinionésque expellens, per quas animos occupat tumultus. Horum omnium initium, maximũque bonum prudẽtia. Laert.

Mox de prudentia, & justitia simul ad Mœniceum ait: Nullum jucundè vivere posse, nisi prudenter, honeste, justéque vivatur. Virtutes enim suavi, & jucundæ vitæ sunt conjunctæ: jucun-

dáque vita ſeparari à virtutibus nequit. Hoc invitus Epicuro tribuit Plutarch. Quàm integer, & ab hypocriſi alienus fuerit, Senec. Fac, inquit Epicurus, omnia, tanquam ſpectet aliquis.

Magnanimitatẽ illius docẽt hæc verba: Agamus Deo gratias, inquit, quod nemo in vita teneri poteſt. Calcare ipſas neceſſitates licet. Sen. Contemptor acerrimus fuit mortis: ut qui dicebat: Nihil ad nos pertinere mortem. Bonum enim, ac malum in ſenſu eſt. Senſus autem privatio mors eſt. Itaque quòd acerbiſſimum malorum, &

horrendum maxime mors eſt, nihil ad nos. Quoniam cùm nos ſumus, mors non adeſt: cùm verò mors adeſt, nos iam non ſumus. Neque igitur ad viventes, nec ad mortuos pertinet. Nam his, qui ſunt, illa non eſt: quibus verò adeſt, iam illi non ſunt. Porrò, qui iuuenem bene vivere, ſenem bene ex vita diſcedere admonet, fatuus eſt: non modò ob amorem vitæ, verùm quòd eadem ſit meditatio bene vivendi, ac bene moriendi Longe autẽ deterius, qui dicit, Bonum quidem non natum eſſe, aut ubi natus eris, mox orci limẽ

adire. Nā si quod ita crederet (addit ille) quomodo nō discedebat è vita? Id quippe illi in prōptu erat: siquidem hæc illi fuisset rata sententia. Laert. & Sen. Obiurgat Epicurus, inquit, nō minus eos, qui mortem concupiscunt, quàm eos, qui timent: & ait, Ridiculum est, currere ad mortē tædio vitæ, cū genere vitæ, ut currendum esset ad mortem, effeceris. Itē: Quid tam ridiculum, quàm oppetere mortem, quum vitā tibi inquietā feceris metu mortis? Idē Seneca plura passim de ei⁹ sapiētia, & fortitudine. Fuisse autem illū temperā-

tię,ac modeſtiæ verũ exemplar, infra plus ſatis inimicis, & invidis patebit:ubi de frugalitate,& de ſummo bono dicetur.

Liberalitatẽ eius prædicãt & beneficẽtia,& humanitas tum in ſuos, tũ in omnes: & præcipuè hęc una ſententia: Beatius dare, quàm accipere. Quam etiam ipſe Plut.illi acceptam refert.

Ambitione omni prorſus vacaſſe, ſupra eſt oſtẽſum ex eo quod ſũmaductus mode ſtia ad rẽp. accedere noluit.

Auaritiæ neſcius omnino fuit: quippe qui exiſtimaret eum miſerum: qui quamvis

totius mũdi dominus ſit, ei⁹ tamẽ opes non ampliſſimæ illi viderentur. Sen. Si ad naturam vives, nũquã eris pauper: ſi ad opinionẽ, nunquã eris dives. Exiguũ natura deſiderat, opinio immẽſũ. Ita refert Senec. Multis paraſſe divitias non finis miſeriarũ fuit, ſed mutatio. non eſt enĩ in rebus vitiũ, ſed in ipſo animo. Senec. Divitiæ enim ſunt ad legem naturæ cõpoſita paupertas. Hoc ſępe dicit Epicurus (ait Senec.) aliter, atque aliter: ſed nunquã nimis dicitur, quod nunquã ſatis diſcitur. Quibuſdam remedia mõſtrãda, quibuſdã

inculcanda. Præterea (referente eod.) Honesta, inquit, res est, læta paupertas. Et, Redige te ad pauca, è quibus cadere non possis. Et Iuvenal. *Non Epicurum Suspicit exigui lætum plantaribus horti.*

Qui autem illum impium, & Deorum cõtemptorem vocarunt, eundem audiant ad Menicæum: Quæ autem assiduè te admonebã, ea & age, & meditare: bene vivẽdi elemẽta hęc esse arbitrãs: primũ quidẽ Deũ esse, animal immortale, ac beatũ: puta, sicut cõmunis de Deo dictat intelligentia: nihil illi aut ab

immortalitate, aut à beatitudine alienũ applicans. Cæterùm omne quod illius cum immortalitate beatitudinẽ seruare possit, de eo opinare. Dii nempe sunt, ut certa est illorum cognitio. Non autem tales sunt, cujusmodi eos plerique arbitrantur. Impius autem est, non qui tollit multitudinis Deos, sed qui Diis opiniones multitudinis applicat. Non enim sunt anticipationes, sed opinationes falsæ, quæ plurimi de Diis sentiunt. Hinc detrimẽta maxima pessimis quibusque à Diis inferuntur: & cõmoda item probis. Nam

virtutib⁹ per omnia delectati, similes amplectuntur: ac omne quod eiusmodi non est, alienum existimantes.

Quid de summo bono, quod ipse constituit in voluptate? Hîc nodus, quem in scirpo quærunt ejus invidi. Ipsum audite, ad Menicæũ. De concupiscentiis, inquit, noscendũ est, quid eligẽdũ, quídve fugiendũ, ad bonam corporis tuendam valetudinem, corporísq; quietẽ. Hic enim finis est bene beatéq; viuendi. Hujus enim gratia omnia agimus, ut neq; doleamus, neq; perturbemur. Vbi verò id semel conse-

quuti erimus, ſoluitur omnis tempeſtas animi. Quocirca voluptatem finem dicimus, ac principium beatæ vitæ. Hãc enim primum bonum atque ingenitum novimus: atque ab hac affectionem omnem, ac deviationẽ inchoamus. Atque huic occurrimus perturbatione, tãquã norma quodvis bonum diſcernentes. Quoniã verò primum inſitum bonum eſt: idcirco non omnem voluptatem eligimus: verùm ſępe pleraſque tranſgredimur: doloreſque nonnullos voluptatibus præſtare arbitramur. Ex diutina tolera-

tione dolorum major nos voluptas ſequitur.

Frugalitatem præterea magnum exiſtimamus bonum: non ut ſemper utamur paucis, verùm ut, niſi multa habeamus, utamur modicis. Credentes veriſſimè illos magnificentia frui ſuaviſſimè, qui illa minimùm indigent, &c. Panis ergo cibarius, & aqua ſummam voluptatem afferunt, cùm egens quis illa cibum ſumit. Itaque ſimplicibus, & non magnifice paratis cibis aſſueſcere, & ſalubritatis eſt, & hominẽ ad vitæ uſus neceſſarios impigrum reddit:

ac ſplendidis, ſi per interualla ſumantur, nos commodiùs aptat: atque adverſus fortunam interritos facit.

Ipſe quoque in epiſtolis aqua tãtùm, & cibario pane ſe contentũ teſtatur. Etmitte, inquit, mihi caſei cythridi paululum: ut cùm epulari precioſiùs voluero poſſim.

Cùm itaque (iterum ad Menicæum) dicamus voluptatem finem eſſe, non luxurioſorum, & nepotũ voluptates, eaſque quæ in guſtu, & ingluvie ſunt poſitæ (ut quidam ignorantes, aut à noſtra ſententia diſcrepãtes, aut malè accipiẽtes arbitrã-

tur) ſed non dolere corpore animóque tranquillo eſſe, & perturbatione vacare, dicimus. Non enim convivia, & comeſſationes, non mulierum congreſſus, non piſcium uſus, & cæterorum, quæ affert precioſior menſa, ſuavem gignunt vitam: verum ratio ſobria, cauſáſque pręſcrutans, cur quæque vel eligenda, vel fugienda ſunt: opinionéſque expellens, per quas animos occupat tumultus. Horum omnium initium, & maximum bonum eſt prudentia. Quocirca philoſophiam quoque prudentia antecellit: ex qua reliquæ

virtutes omnes oriuntur: docentes, quòd non jucundè vivere possit quispiam, nisi prudẽter, honeste, justéque vivatur. Virtutes enim suavi, & jucundæ vitæ cõjunctæ sunt: jucundáque vita separari à virtutibus nequit. Inseparabilẽ quoque à voluptate virtutem solam asserimus: cætera vere separari: nempe vt mortalia, &c. Fine illo utendum, qui felicitatis, & beatitudinis initium sit: quod beatum atque immortale est, &c. Iustus enim à perturbatione remotissimus: injustus verò perturbatione plenus est, &c.

Cęterùm de illius tempe-
rantia sic refert Senec. Cer-
tos habebat dies ille magi-
ster voluptatis Epicurus,
quibus maligne famē extin-
gueret, visurus an aliquid
deesset ex plena, & consum-
mata valetudine, vel quan-
tùm deesset: & an dignum,
quod quis magno labore
pensaret. Hoc certe in his e-
pistolis ait, quas scripsit Ca-
rino, de magistatu, ad Po-
lięnum. Et quidē gloriatur
se non toto esse pasci: Me-
trodorum, qui nundum tā-
tùm profecerit, toto. Hinc
Athenæus.

Quis furor, ô cives, ut vos, ad vile lucellum,
Rixas, & bellum solicitetis atrox?
Nã natura opibus facilè est contenta pusillis:
Contenta at nullis ambitio est opibus.
Hoc Epicurus ait, dulces quẽ nepe Camœnæ
Aut Suadæ tripodes edocuere sacri.

Multa & pulchra, hac de re Sen. qui passim se Epicuri æmulum fatetur. Idem de beata vita. Ita, non ab Epicuro impulsi, luxuriantur, sed vitii dediti luxuriã suam in sinu philosophiæ absconderunt,&c. Et mox: Hoc est cur ista voluptatis laudatio perniciosa sit: quia honesta præcepta intra latent, quod corrũpit apparet. Mea quidem ista sententia est (invitis hæc nostris popularibus dicam) sancta Epicurum, &

recta pręcepisse: & si propiùs accedas, tristia. Voluptas enim illa ad parum, & exile revocatur. Et quam nos virtuti legem dicimus, ille dicit voluptati. Iubet illam parere naturę. Parùm est autem luxurie, quod naturæ satis est, &c.

Infinita pene volumina scripsit, & ejus successores in schola, etiã de rebus gravib⁹, & præclaris. Illum Chrysippus, in scribẽdo multa, ęmulatus est. Sicut Carneades refert, parasitũ illum dicens. Nam si quid Epicurus scriberet, idẽ scribere Chrysippus contendebat. Laborem

in ſcribendo eius epiſtola 1. Herodoto, de natura 2. Pythocli, de meteoris, tertia Menicœo, de philoſopia, & his, quæ ad bene vivendũ conferunt, ſatis adhuc nobis ampla ſunt teſtimonia. Multos ejuſdem libros enumerat Laërt. Quàm autem gravia fuerint ejus ſcripta, patet ex Sene. Librum, inquit, quem mihi promiſeras, accepi. &c. Levis mihi viſus eſt, cùm eſſet nec mei, nec tui temporis: ſed qui primo aſpectu aut Titi Livi, aut Epicuri poſſet videri. Tanta autem dulcedine me tenuit, & traxit, &c.

Obiiſſe

Obiisse calculo urinæ exitum impediente, morbo quatuordecim diebus fatigatum, & monentem amicos, ut ipsius decretorum memores essent, inter verba defecisse Hermachus in epistolis tradit. Quam autem alacriter mortem obierit, hæc ejus epistola ad Idomeneum testatur. Cùm ageremus, inquit, vitæ beatum, & eundem supremum diem scribebamus hæc. Tanta autem vis morbi urgebat vesicę, & viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. Com-

pensabatur tamen cum his animi lętitia, quam capiebã memoria rationum, inventorumq́ue nostrorum, &c. Sed tu, ut dignum est, fac, ut Metrodori tueare liberos, &c. Hoc illius extremum testamentum fuit, cùm aliud iam fecisset, & multis de rebus disposuisset: quod videre licet apud Laert.

Successit illi in scholę administratione Hermachus: cui etiam libros suos testamento legaverat. Successores sibi invicem alios quatuordecim insignes habuit. Suid. De quibus etiã Laert. Schola eius permãsit usque

ad Cęſarem primum, annos CCXXXV. Suid. Cęteris ferè omnibus deficientibus: ut hîc in principio dictum eſt.

Quantus denique fuerit Epicurus Athenæ patria teſtatur: quæ illũ, ꝓb doctrinam, ſtatuis æreis decoravit. Tortell. Quod eo majus, quo rarius: quia NEMO PROPHETA IN PATRIA.

Præterea illi ſacræ feriæ omni menſe conſtitutæ sũt, quæ Ichades dicebãtur. Inde Ichadiſtæ dicti Epicurei, Eiſdemque feriis natali ejus, viceſima Luna, ſacrificabatur. Plin.

Ipſius denique vultus ge-

ſtabant per cubicula, & ſecum circumferebant. Imò verò (ut Cic. dicit.) non in annulis modo, ſed & iñ polis habebant. Cæll.

De Phalari.

TErtius noſtræ ſcenæ actus Phalarim habet. Is inter magnos à calũnia fulminatos, crudelitate dãnatur. Eius nomen cuncti horrent. Quid enim horrẽdum magis, quàm hominẽ homini inſidiari? quid atrocius, quàm in carcerem detrudere, quęſtione affligere, aqua & igni interdicere, exilio dãnare, lapidibus obrue-

re, de ſaxo præcipitare, aquis ſuffocare, capite plectere, affigere cruci, vivum cremare, & excoriare, in Taurum coniicere æneum, quē circum flãmæ volvuũt? Hęc omnia Phalaris in cives: non quidem fures, non parricidas, non reipub. perturbatores, non Deorum contēptores: ſed qui in caput, aut nomen eius moliti erant aliquid. In caput illius, inquã, qui violenter imperium uſurparat, qui libertatem illuſtriſſimæ civitatis rapuerat, qui jugum liberis impoſuerat: licet vilis fortunæ vir, & exul.

Sed ſi humanam ſortem intueamur : ſi jus naturæ, ſi gentium, ſi diuinum, aliter de Phalari ſentiemus. Nã, ſi Platoni credimus, quidã nati ſunt ad ſerviendum, ad imperandum alii. Secundũ naturam eſt, inquit Iuriſ. ut fundus inferior ſerviat ſuperiori. Sic mentem natura in capite, tanquam in arce poſuit. Sic & mundus ſine rectore jam olim corruiſſet. Hinc imperia à prima illa gẽtium origine inſtituta. Hinc inter Deos ipſos, Dei mandato, Principes, Reges, & magiſtratus habiti. Hinc quibus Regem non tribuit,

electione fit. Hinc quibus monarchia aut incognita, aut in visa, aristocratia instituitur, aut democratia. Qui altero istorum non reguntur, in Oligarchiam incidũt, vel in omnium pessimam Anarchiam, seu veriùs meram confusionem. Certum enim est, non magis homines sine aëre, pisces sine aqua, mundum sine sole vitã vivere posse, quàm hominũ cœtũ sine Duce. Ita ut quos necessitudo non dat, necessitas statim tribuat.

Phalaris igitur non injuria, nec novo jure Agrigentinorum Rex factus, non

tam populo invisus, quàm ambitiosis è fastigio reipub. deturbatis, & his juribus dominus factus, si remp. & seipsum tueri conatus est, & perturbatores demi de medio jussit, ideo crudelis vocatus! Plurium itaque tyrannorum rudi imperio in unius dulce trãslato, totidemque tyrannis liberata republica, in hunc profligati tyrannuli, libertatis prætextu, concionibus, & aliis modis, semper belluam illam multorũ capitum plebem concitabãt, & cunctos in tormẽta, ac mortem præcipites agebant.

Sed non tam hos, quàm

nos miror, qui etiam hoc nomine Phalarim vocamus, & eũdem ſemper immanẽ, ferum, & ferocem proclamamus: nomen ejus inter homines nominandum nõ ſinimus. Quem tamen ſi religioſum, ſi providum, ſi iuſtum, ſi fortem, ſi liberalẽ, ſi clementem, ſi Muſarum & philoſophiæ amantiſſimum, & virtutum omniũ refertiſſimum, & pacis amantiſſimum oſtẽdero, advertite, quæſo: & huic improbiſſimè calumniis petito peto, ô lectores, vindictam fieri: & pro ejus ingenuitate, & iuſtitia vindicias dari.

Quòd ſi in Cæſare (qui inter Deos relatus, cuius nomen à cæteris Imperatoribus, tanquam ſacrum aſſumptum, & legibus noſtris veneratum) iſtud toleratur: Si violandum eſt ius, regnandi cauſa violandum. quàm noſter hic laudãdus, qui nunquam ius, aut fidem violaſſe reperitur? Neroni impunè eſt, quòd dixerit: Oderint, dum metuant. Is autem noſter precibus, ſuaſionibus, monitis, muneribus ſe tueri conatus eſt, & cives in officio continere. Quis Regi Ætiopum crudelitati vertit, quòd filios

omnes perpetuo carcere damnet, præter primogenitum, aut magis aptum ad regni gubernaculú, ne turbetur publica tranquillitas? Reg. Quòd ſi hoc illi in filios, cur non Phalari in extraneos concedatur?

Pro illo igitur Iulia lex maieſtatis apertè clamat, omniumque regnorum, rerumque publicarum leges. Nónne juris naturę, & civilis eſt, ſeipſum tueri? Quem iniuria affectum, & damnatum à Phalaride oſtendent? Nullum certè. Imò inſidiatoribus confeſſis & convictis vitam datam: & inimi-

cos amantiſſimè acceptos. Accuſabat enim neceſſitatē imperii & vitæ conſeruandæ, ſi quibuſdam nocendū eſſet, & eorum pertinaci obſtinatum: ſæpe dicens: Illis ſatiùs eſſe, eum clementem pati, quàm multa peiora. Illud addens: Quęcūque ab eo mala pati debebant tranſacta eſſe, & non, niſi bona ſperanda. Quorū omnium ampliſſimam eius epiſtolæ fidem faciunt.

Quis igitur Phalaris fuerit, vnde, quibúſve progenitoribus. Epiſt. ad Lycinū, & ad Epiſtratum.

De eius religione, & opi-

nione de Diis, epiſt. ad Catanæos: ibi, Deorum gratia, in quorum manibus eſt ſervare omnia, & perdere eſt, &c. Et ad Alcandrũ: ibi, Tũ Deo confidimus, qui nos cõtra omnium iniurias tuebitur, in quo certiſſima mihi ſpes eſt. Et ad Meſſenios: ibi, In Deos ſacrilegium cõmiſiſtis. Quid enim refert munera iam dicata, aut tantùm deſtinata Diis auferre? Vtraque enim illorum, nõ mittentium ſunt. Nos igitur gratiam in Deos, vos impietatem oſtendiſtis, &c. Et ad Evandrum, aut Periſthenem ultima. Hîc etiam adde

mutari dixerit, ego ſanè non arbitror: Dei namque hoc opus eſt, non hominis. Cæterùm ſi quis eos meminerit, qui Iovis filii feruntur, Aeacum ſcilicet, & Minoë, & Rhadamanthum, & alios ſemideos neque immortales fuiſſe, neque aliter, quàm pro ſui fati neceſſitate mortuos: ſi neque fatum, neque mortē ægrè tulerit, aut formidaverit, minimè mihi ſtultus videtur.

Illius prudentiam oſtendunt, quæ ad Ariphradem, Antonoem, Hegiſippem, Ariphantum, & Traſibulū.

Illius prudētiam oſtendūt,

quæ ad Ariphradem, Antonoem, Hegiſippē, Ariphantum, & Traſibulum.

Iuſtitia cernitur, in ea ad Epicharmum: ibi, Sufficis ſolus nobis, cùm juſtos nos arbitraris, &c. Et infra, Hominum enim præſtantiam, nō numerum reputamus. Et ad Alcandrum: ibi, Neq; injuſtè, neque ſupra vires quicquam audeo. Et ad Pollucē: ibi, Et mortē, & mortis cauſas opus erat ſimul oſtendere. Et ad Athenienſes: ibi, Tū Perilli arte laudata, mores puniendos duximus. & ipſo autore pejorem invenimus neminē. Et ad Himereſ. ibi,

Verùm nos neq; modeſtos homines, & qui nullá mihi, neq; patriç injuriá intulerũt injuſto afficiendos ſupplicio, neque communẽ Græcorum legem violandam duximus: etſi vos plurimas abrogaueritis, quibus contra nos tuliſtis ſententiam, &c. Et infra: Atqui vos neque imitatus ſum, neque imitabor Et ad Himerenſ. & ad Steſichorũ: ibi, Erga bonos autem tales ſimus, quales ante tyrannidẽ (Hoc eſt regiá poteſtatẽ) Hîc Lucian. in Phalari 1. & 2.

Magnanimitas ejus, ad Lycinum: ibi, Et animo

in hunc uſque diem invicto. Et ad Herodicum: ibi, Ego autem degeneris viri officium exiſtimo neſcium, atque incautum aggredi. Et ad Ariſtomenem: ibi, Quid enim viro generoſo melius, quàm in virtutis, & victoriæ contentione fortiter vitam finire? Et ad Ariſteneum: ibi, Tuo autem dolore afficior, cùm mihi tantopere timeas: fatũ namq́ue adveniet, etſi Ariſteneus nimia ſolicitudine cõficiatur. Sed lõgè moleſta ſatiùs eſt eum pati, qui nihil veretur, quàm priùs ſi quis timet. Sed hoc quia ſubobſcurius, ego ſic verto: Sa-

tius eſt citò ſine timore mori quàm perpetuo vivere & temerè tremere. Et ad Alcandrum:ibi, Neque tu, neque hominum quiſquã me unquam perterrere verbis, ſed ne rebus quidem ſperet. Et ad Gorgiam:ibi, Ego autem neque mortem, neque mortis genus effugio.

Modeſtia verò illius tũ apparuit, cùm ei tanquã bene, vel optime merito ſtatuæ oblatæ fuerunt, ab Ennenſibus: ſic enim ait, Quod autẽ ſtatuas mihi erigere pollicemini, nolite, quæſo, id cõtendere: ſimul enim cũ noſtra in vos liberalitate hunc

tuum odio habes, quòd mores tuos non imitatur, ab omnibus diligitur. Et ad Meniclem: & ad Polycletum: & ad Pythagoram: & ad Cleoſtratum: ibi. Quippe qui alios caſtigare vult, omni eum crimine liberum eſſe oportet.

Adulatores, & laudes faſtidio illi erant. Ad Polygnotum: Nec animadvertis, ait, ſermonem, rerum umbram à ſapientibus exiſtimatam. Et ad Melitenſes.

Invidos quoque non bene audiiſſe apud eum, hæc verba docent, ad Sameam: Cúque proximorum felicita-

tes piè, & humanè proprios dolores ducas & calamitates, brevi ad te ſcripſi, me certamine viciſſe.

Liberalitatem exercuiſſe maximè, videre eſt ad Aglaum: Theſauros noſtros, ait, quoſcũque nobis Deus largitus eſt, ad fortunæ mutationes condidimus, non in ſinu terræ, quemadmodum admones, ſed in amicis, qui à nobis dona accipere non dedignantur, &c. Pulchrè, & prudenter. Et ad Meneaclem: & ad Amphinomum: cuius initium, cum in viros bonos aliquid confero, non dare mihi, ſed

àccipere ab his potiùs beneficium videor. Quare te rogo, ne tanquam dãtem me, ſed debentem tibi gratiam, eo quòd quæ miſimus accepiſti, exiſtimes. Et a'd Antonoem. Et ad Aſtipalenſes: Vos igitur, ait, quæ à nobis accipitis, dare videmini: adeo petitionem veſtram in beneficii locũ adſcribimus. Quis enim ignorat, munera dantis eſſe laudem: rectè autem his uti accipientis? Et ad Teucrum: ibi, Sed adverſam eius fortunam exuperemus. Et multis aliis locis.

Eius pietas in uxorem, &

Amicis amicissimus cernitur: ad Cleobolū: Cùm suaviorem amicum me aspernantur, &c. Et ad Lacritum: Lacritum nobis serves incolumem, quem ego pro omnibus locis, civitatibus, tyrannidibus, & ipsa denique, per Deos, anima mihi esse arbitror. Et iterum ad eundem, Memento autem quod depositum tibi teipsum, cùm à nobis dimissus es, commisimus, quod salvum reddere promisisti: id nunc majorem in modum rogamus.

Erga creditores facilis fuit, & humanus. ad Ennenses: Quod si hac estis sententia, cùm à legatis vestris exhaustum ærarium, & ex privato pecunias vos contulisse audiam, hoc etiam debito vestram libero civitatem: vel, si placet, quæ accepi reddere paratus sum: modò in reip. vtilitatem, non in ejus direptores conferatis. Quo fit, ut pauperes publicè sitis, Et ep. 61. eisdem. Sed aut creditoribus divites esse oportet, aut furibus pauperes, &c. Ex mox: Itaque

licet vel pecuniis vestris servatis, propriam mihi habere gratiam, vel perditis, exigi etiam quæ donavimus. Et ad Melitenses: Sed ut aiunt, ad amicos nulla utendum excusatione. Verùm nolite quæso, illorum mores sectari, qui cùm mutuum accipiunt, honestissimis nominibus, cum exigitur, grauissimos creditores appellant. Decet enim qui beneficium accepit, eorum, qui dederunt, meminisse: & quoad debito se solverint, eosdem creditores existimare. Et

infra, Siquidem & bonis, & prauis æquum eſt creditum reddere. Equidem & cùm mutuum do, & cùm exigo idem ipſe ſum, & mihi ipſi ſimillimꝰ: quibus autem dantur, hi mores pro tempore, ut aiunt Camæleuntas, pro ſubiecto ſolo colores mutant. Quippe cùm accipiunt, ut benemeritum, vt Deum creditorem laudant: cùm repoſcuntur, in eum, ut in tyrannum, ut in impium inuehuntur. Idem ad Antimachum.

Nec objiciatur, quam

tantopere horrent, crudelitas: quod enim iustè, & coactè fit, immanitas dici non potest. Ipse loquitur: ad Tyrsenum: & ad Pythagoram: Viam namque mitiorem, inquiens, tuis aggrediar admonitionibus si una cum Pythagorę sententia, veritas quoque certam mihi salutem pollicebitur. Et ad Xenophitem: Me autem hujusmodi esse necessitate, quę Diis potentior est, &c. Et ad Diometellē: Neque Deorum mihi quempiam affers securitatis fidejussorem, &c. Et infra: Ne-

que animadvertis periculosius esse deponere principatum, quàm occupare. Et ad Epicarmum: & ad Cebronem: & ad Euctemonum: & ad Pollucem: Minùs grauiùs iniuriã patior, quàm puniam. Et ad Arimachum: Aliis quidem natura, mihi verò necessitate contingere talem esse. Et ad Athenié∫es: & ad Cleonetem, & ad Theaneum.

Imò natura clemens fuit. ad Zeuxippum: Filio tuo propter iuuẽtam, tibi propter seniũ parcimus: quã-

vis nullam veniam mereamini. Et ad Leontinos: Leonidam, quem res meas exploratum misistis captum à me, cùm interimere possem, liberavi. Et ad Auphradem: Idcirco non putavi ob filii maliciam nihil malè meriti patris senectã dolore afficiendam. Et, Nonnullos, cùm omni spe decidissent, liberaui. Et ad Eteonium. Et ad Hieronem: Nisi quòd Culicem Elephas indus non curat, &c. Et ad Pollucem, Ego enim eos, qui me iniuriis persequuntur, & bis, & ter

venia dignatus sum. Nemo tamen eorum est, quē primò depræhensum iterum malum videri pudeat. Et ad Policletū: Liberavi, tui gratia, Callæschrum, qui mihi tam manifestè insidias fecerat. Et ad Epistratum: Noli me ad tui ultionem cogere: cùm ter iam tibi pepercerim. Et ad Himerēses, Liberavimus Stesichorum, Himerenses, & quæcunque contra nos machinatus est. Dearum quibus is curæ est, & Deorum atque Heroum gratia condonavimus. sed pu-

duit ſacrum virum, & ſciẽtia, & verè Muſis eruditum una cum ſceleſto interimere: Et ad Periſthenem: Nunc tamen ſervandas cẽſui. Admiraris profectò, quòd meam in eos iram extinxerim. Et ad Abaridum. Et ad Phedimum: Ego autem non ſinam humanitatem malitia eſſe inferiorem. Plura Lucian. in Phal. I. & 2.

De *Apuleio*.

QVartus & postremus est Lucius Apuleius noster, qui ab omnibus ferè barbarus notatus, à paucis laudatus, tanquam proscriptus, ut cuius sermo à lingua Latina longè alienus existimetur.

Patria ei Patras Achaiæ urbs. Pater Lucius, Frater Caius, historiarũ scriptor.

Asinus ille verè aureus, aut potius aurum ipsum, tanto dicendi lepore, tan-

to cultu, tanto verborum minimè trivialium copia est concinnatus: ut de eo merito dici possit: Musas Apuleiano sermone eo quuturas, si Latinè loqui vellent.

Hujus eloquentiam Sidonius Apolinaris velut fulminātem præconio virtutis extollit. Et divus Augustinus in epist. eundem eloquentissimum testatur. magnaq; præditus eloquētia, &c. In lib. de Civit. Dei: Apuleius Afer, inquit, honesto patriæ suæ loco natus, & liberaliter educatus,

Platonē eũ Græca, & Latina linguâ nobilē vocat. Ibi igitur videre eſt, quā doctè doctiores doceat, omni dote & doctrina refertus. Aſinus ille vera humanæ ſortis comœdia. Aſinus, inquam, multo lucidior Lucio illo Luciano primo autore. In quo etiamſi quædam obſcœna videantur verba, nihilominus de eo dici poteſt,

Verſu laſciuus, mente pudicus erat.

Vtpote qui philoſophiam apprimè callebat, & colebat.

Sed & ſi quatuor ora-

tiones eius in auditorio Carthaginensi ab ipso habitas intueamur, quid dulcius, quæso, quid acutius? ubi de Aquila, & de Marcyæ cum Apolline certamine: de dicendi periculo; ubi omnia ad limam, & lineam: de Hyppia Sophista, quibus & indumentis indutus, & calceamentis inductus: de silentio pythagorico: de gratiarum actione ob statuam decretam: de Philemone mediæ comœdiæ scriptore: de comœdiæ decore, & de eius comœdico interi-

tu pulcra. Legendaque ejus esse ossa, mox carmina, & ante lethũ abire, quàm lectum: & potiùs implere fata, quàm fanda: & consumere potiùs animum, quàm historiam: & id generis infinita.

Nec prætereunda eius dissertatio Carthagini publica: vbi Protagoræ cum Evathlo contẽtio pulcherrima, & acutissima.

Hæc autem verba si nõ placeant, si non arridet stylus, longe aliis verbis in libro de dogmate Platonis, de Philosophia.

De Deo Socratis, quod ex promptu dixit: ubi, Repentina, inquit, noſcitis, & ignoſcitis: & In ſubitariis rebus venia prolixior: & plura admiranda.

Alia iterum ratione, & oratione liber illius de mũdo compoſitus eſt: quemque de virtutibus herbarũ ſcripſit.

Iſta verò ſi palato non ſatisfaciant, audiamus duas ipſius apologias, quibus apud Claudium Maximum Proconſulem, adverſus Æmilianum calumniato-

rem ſe defendit, ornatiùs an acutius dubium certè. In his plurima interſeruit mirus ille novator verborum, quæ maximè delectant, docent, & movent tanto cum decore, tanta cum venere, ut nihil venuſtius, nihil doctius, nihil vehementius. In fine quarum, nouo more, binis ferè verbis reſpondet, epilogo pulcherrimo. Verùm quid plura? Ipſum adite, & audite.

FINIS.